FUNDAMENTA JURISPRUDENTIAE NATURALIS,

A

FRIDER. GUILIELMO FESTEL

DELINEATA

IN USUM AUDITORUM.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAM. ET JOH. LUCHTMANS,
MDCCLXXII.

L. S.

HUGONIS GROTII *de Jure Belli & Pacis opus, insigni rerum egregiarum uber-tate eximium, annuis recitationibus absolvere solitus, tantum temporis argumentis gravissimis, & diligentiori explicatu dignis, subduci doleo, quantum prolegomenis & primo capiti exponendis impendere cogor. Cui difficultati ut mederer; ea hoc libello delineare initia constitui, quorum pleniori notitia instructos ac praeparatos esse velim, qui me in jure publico excolendo ducem sequuntur. Quem laborem censeri inglorium, utpote eruditionis omnis expertem, facile patiar, dum iis prosit, quorum mihi contingit formare ingenia & animos.* Vale.

SERIES SECTIONUM.

PARS I.

Curſum vitae felicis proſequitur.

PARS II.

Notionem legum naturalium, & modum eas ad facta applicandi, exponit.

FUNDAMENTA JURISPRUDENTIAE NATURALIS.

PARS I.

CURSUM VITAE FELICIS PROSEQUITUR.

SECTIO I.

Felicitas.

§. I. Actiones hominum aliae ſunt naturales, alias in poteſtate ſua poſitas pro lubitu ſuſcipiunt. Hae a libertate, cujus ſibi quisque eſt conſcius, profectae, dicuntur *liberae.*

§. II. In quavis actione libera ineſt ratio electionis inter duo propoſita, quae mentem clare aut obſcure ſubit, cum agere decernit. Ratio electionis menti praeſens, eamque ad agendum flectens, generatim dicitur *momentum.*

§. III. Momentum ultimum, quod in ſingulis

 acti-

actionibus liberis vim habet mentis decretum terminandi, est spes *voluptatis*, aut metus *doloris.*

§. IV. Voluptas (sensatio menti grata) alia corporis ministerio in anima existit, alia in hujus quasi fundo, absque nervorum corporis affectione, nascitur aut excitatur.

§. V. Est vel *pura* vel *mixta dolore.* Hujusmodi *sensu mixto* maxima pars hujus vitae degitur.

§. VI. Status animae aliquid appetentis aut aversantis inter voluptatis spem, & metum doloris, medius non datur. Si *indolentia* appeti dicitur, haec est sensus tenuissimus voluptatis, nulla nova quasi titillatione superveniente, aliquamdiu continuatae, cujus mutationem se desiderare, anima haud sibi est conscia.

§. VII. Voluptates gradu differunt. In earum aestimatione ineunda, videnda ipsarum *fecunditas*, dum perceptae fiunt causae plurium aut pauciorum novarum consequentium; *intensio*, sive quantitas motus, quem in anima excitant, varia pro variis causis; ex quibus oriuntur, & pro vario corporis vel animae statu praesente, cum afficitur; *diuturnitas perceptionis*; & *firmitas persuasionis*, poenitentiae non fore locum.

§. VIII. Interest insuper observasse, quod spes voluptatis non solum pro hujus magnitudine, sed & eo efficacius soleat movere animam ad appetendum, quo *breviori* temporis spatio haec voluptatis futurae magnitudinem pon-

ponderare, & adeptionis probabilitatem ac celeritatem metiri, valet.

§. IX. Voluptas, cujus quovis tempore examinatae nunquam hominem poenitere poteſt, eſt *vera* (*ſalutaris*): huic contraria autem, cujus recognitae & perceptionem praeteritam, & renovationem, non poteſt non averſari, *fallax*, (*noxia*, *imaginaria*) (§. 30.)

§. X. Cauſa efficiens *verae voluptatis* vulgo dicitur *bonum*, huic contraria *malum*. Illud ſi conſideretur absque reſpectu, num per uſum libertatis ſuae eo potiantur homines an ſecus, dicitur *bonum phyſicum*; ſi tanquam tale conſideretur, quod per uſum libertatis homini contingit, vocatur *morale*.

§. XI. Innatum eſt homini ſtudium, eſſe ut cupiat, & dum ſit, ea vita frui, in qua voluptates aliae aliis ſuccedentes dominentur doloribus, quorum interventus vitari non poſſit. Abhorret mens ab imagine & deſiderio ejus conditionis, quae cum perpetuis conjuncta angoribus, nullum ſpei utcunque probabili relinquit locum, fore unquam levius aut melius.

§. XII. Status hominis, qui certus eſſe poteſt de perpetua poſſeſſione verarum voluptatum doloribus haud evitandis praeponderantium, dicitur *felicitas*. Inſitum eſt homini *deſiderium felicitatis*. (§. 11.) Ad hoc, tanquam ad fontem communem, univerſae hominum appetitiones confluunt.

§. XIII. Ex definitione data apparet, 1) felicitatem non absolvi sola vacuitate doloris, 2) nec qualicunque dolore tolli, 3) nec qualibet voluptate augeri, 4) neque eam in opinione hominum fluxa & varia esse positam, sed ejus notionem aliquid stabile & solidum complecti, cui innitatur persuasio, esse nobis in praesens bene, & in posterum fore.

§. XIV. Dari felicitatis progressum, & diminutionem, ipsius notio, & experientia, evincunt. In qua aestimatione facienda venit in computationem (a) magnitudo voluptatum verarum, quarum continuatio aut adeptio speratur, (§. 7.) (b) dolorum, si qui interveniant, levitas, aut vis ad illarum suavitatem magis sentiendam, (c) firmitas fundamentorum, quibus spes perpetuitatis in fruenda vitae jucunditate nititur.

§. XV. Sumimus hic, quod alio loco evinci solet, atque ex sapientia divina & praestantia *animae humanae* recte concluditur, hanc a corpore suo seclusam vivere.

XVI. Evicta animae immortalitate, patet animam non solum semper eandem, suique, & quod distet ab aliis rebus, sibi consciam, statusque sui praeteriti memorem, sed & novarum idearum adipiscendarum, proinde & novarum voluptatum, vel novorum dolorum, fore capacem.

§. XVII. Ex quo consequitur, ut vita futura animae humanae, corpori suo superstitis, sit continuatio praesentis. In definitione itaque felicitatis

tis humanae condenda, non ea ſola eſt computanda periodus, quae morte finitur.

§. XVIII. *Appetentes* vitae felicis homines natura fecit, an & *capaces?* Eosne, quos tantae totque contextae dolorum cauſae circumfundunt? qui ſuam ſibi ipſis tranquillitatem ultro & libenter aegri auferunt? Nonne rectius concludas, non eſſe datum generi humano felicitate frui, quoniam ea non omnes fruantur?

§. XIX. Voluntas & fines Dei ex operibus divinis cognoſcuntur, Naturae humanae Deus inſevit appetitum felicitatis, (§. 12.) ergo noluit, ut ejus adeptio eidem naturae repugnaret. Facere ſimul, ut eodem, quod neceſſario expetunt homines, neceſſario careant, in ſummam ſapientiam & bonitatem haud convenit. Praeterea nihil in univerſa rerum natura eſt diſſonum, concinunt omnia. Ex quo colligitur, providum numen, quod ſibi in omnibus, quae facit, conſentaneum eſt, & ſuum quibusque rebus perfectionis gradum attribuit, hominum quoque generi definitum felicitatis gradum deſtinaſſe.

§. XX. Neque his dictis refragatur *experientia.* Seu hominem per ſe, ſeu ejus naturalem cum caeteris mundi partibus copulationem conſideres, quidquid naturale eſt, & cum homine connexum, ad ejus felicitatem conſentit.

§. XXI. Aerumnae & varia incommoda, quibus reſiſti non poteſt, proſperitati hujus vitae inimica, felicitatem non evertunt. (§. 14, 17.) Eorum

magnitudinem brevitas consolatur, longinquitatem nata ex assuefactione lenitas, denique praeter voluptatum praeteritarum recordationem, atque dulcissimam providentiae Divinae cogitationem, aerumnosos praecipue erigit spes, si minus alia, certe aeternitatis beatioris (§. 16.)

§. XXII. Perverso libertatis usu homo sibi in cursu vitae felicis deesse potest, seu ignoret germanas verae & fallacis voluptatis notas, & dimensionem, seu videns meliora probansque deteriora sequatur. (§. 8.)

§. XXIII. Quod ne fiat, nullumne providentia Divina homini suppeditavit monitorem interiorem, quo & ad dignoscendum, quid sibi conveniat, instruatur, & ad efficiendum invitetur? Haec cogitantibus tres potissimum quaestiones subnascuntur, ad quas considerandas statim progrediemur:

1) Certumne detur iter felicitatis, quod homines in actionibus suis regendis tuto, & absque aberrandi periculo, ingrediantur?

2) Num certa ejus intelligentia homini contingat?

3) Num qui insint in anima humana elateres, quibus vera boni malique cognitio fiat efficax, mentemque ad decreta huic consentanea facienda impellat?

SECTIO

SECTIO II.

De via ad felicitatem, certaque ejus cognitione.

§. XXIV. *Regulas felicitatis humanae*, in quibus inveniendis, & contexendis, natura duce, versabimur, appellamus enuntiata, quae exponunt viam consequendae felicitatis, hoc est, eam actionum hominis liberarum ordinationem, per quam possibilis est felicitatis generi humano destinatae (§. 19.) adeptio. Easdem vocamus *morales*, ab actionibus *liberis*, sive *moralibus*, quibus regendis inserviunt. *Certas* dicimus, quibus quae sunt contrariae, nunquam ad felicitatem generis humani consentire posse, sed ei semper repugnare, mens humana cognoscere valet.

§. XXV. *Dantur regulae certae felicitatis humanae.* Si enim nullae darentur, nulla foret felicitas. Sin forent incertae, *scepticismus moralis* orietur *physice necessarius.* Hujus perpetua vertigine agi, miserum foret omnibus, miserrimum solertioribus. Igitur id sumi nequit. (§. 19.) Nullas esse dicas regulas morales, an incertas, effectu inspecto, nihil interest.

§. XXVI. Idem evincit natura actionum liberarum. Quaevis (perinde ut actiones naturales corporum) gignit effecta, quae inter se, & cum eadem actione, ex qua manarunt, tanquam causa, copulantur. Haec effecta sunt posita in

ea ſtatus mutatione, quae ſenſum doloris, aut voluptatis ſtatim aut ex intervallo parit. Igitur recte concludi poteſt, poſita actione libera plane eadem, tanquam cauſa efficiente, eadem poni effecta, quae gignant ſtatum vel conſentientem cum deſiderio felicitatis, vel cum eodem pugnantem, quorum illa idcirco dicuntur *bona*, haec *mala*. (§. 10.) Si qua differentia appareat effectuum, ex duabus ejusdem generis actionibus profluentium: rem accurate inveſtigantibus planum erit, non omnino easdem eſſe actiones, quae conferuntur, ſed diſcrepare.

§. XXVII. Non fluxa igitur, aut in opinione ſingulorum vel complurium ſita, ſingulisve propria, aut ſtatui temporis obnoxia, eſt vis (relatio) actionum liberarum ad felicitatem agentis, ſed communis omnibus, ſtabilis & perpetua. A perpetuitate hujus relationis oritur naturalis ordo felicitatis. Cognito hoc ordine cognoſcuntur regulae, ad quas neceſſe eſt conformari actiones liberas, ut feliciter vivatur. Ille ordo cum ſit certus, etiam regulas, ordinem illum *vere* exponentes, certas eſſe oportet.

§. XXVIII. Denique ſi certae non eſſent regulae, quibus homines in actionibus ſuis regendis utantur, eidem homini nunc hae nunc aliae, & diverſis diverſae, convenirent. Talis fluctuatio aliena eſt a ſapientia ſummi Numinis, non conſpirat cum admirabili legum, quibus univerſa rerum natura regitur, phyſicarum concentu, neque conſentit cum natura humana, quae nulli in ſingulis viciſſitudini obnoxia, eſt eadem omnibus.

§. XXIX.

§. XXIX. Datur itaque ſyſtema (contextus regularum congruentium) ſtabile ac certum felicitatis, hominum generi non aliter deſtinatae, quam per definitum libertatis, eidem conceſſae, uſum. Quod cum ſit naturae humanae accommodatum, adeoque & cum rerum univerſarum natura conſentiat, (§. 19.) recte dicitur *naturale*. *Divinum* merito appellatur, quoniam divinitus eſt ordinatum; *bonum*, quandoquidem a patre generis humani nihil, niſi bonum, proficiſci poteſt.

§. XXX. In convenientia aut pugna cum hoc ſyſtemate ineſt nota certa, & perpetua, voluptatis verae & fallacis, (§. 9.) actionum *liberarum*, ſive *moralium*, bonarum & malarum, judicii veri & falſi, quod fertur de actionum bonitate & pravitate.

§. XXXI. Cum id ſyſtema ſit divinum: (§. 29.) non poteſt non eſſe immutabile. Solae partes hominis ſunt, illud *indagare* & *ſequi*.

§. XXXII. Quae quidem indagatio iisne involuta eſt tenebris, ut non poſſint non multa vitae praecepta a multis vel ab omnibus ignorari, multique errores inveſtigantibus ſurrepere? Res patebit, cum primum viderimus, & qua via ad adipiſcendam regularum vitae cognitionem eatur, & qua iri debeat.

§. XXXIII. Prima aetas tum *inſtinctibus naturae* ducitur, tum ad cognoſcendas ac colligendas vitae regulas adhibet *experientiam* ac *fidem*. *Inſtinctus naturae* (*prima naturae*) ſunt conatus animae humanae inſiti, quibus ad cupiendum vel declinandum id,

quod naturae humanae expedit aut nocet, impellitur. Horum alii hominibus sunt communes cum brutis animantibus, alii proprii. Inest in iis vis quaedam discernens bonum & malum, sed ob celeritatem ictus, quo ad decernendum aliquid & agendum pellunt, menti humanae vix observabilis. (infra §. 49.)

§. XXXIV. Sentit infans, & paulatim ad sensus suos attendere, hoc est, *experiri* incipit. Praecipue infigit menti, quae sibi suavia aut molesta fuisse expertus est. Nondum iis praeditus intelligendi viribus, ut longe in futurum prospiciat, ex praesentissimo, quem actionis suae effectum esse animadvertit, sensu grato aut ingrato concludit bonae malaeque actionis criteria. Similis actionis similem exitum in posterum exspectans, dum nondum cogitat construere vitae regulas, eas sibi inscius condit.

§. XXXV. Eadem imbecilla aetas dum societate hominum & ad vivendum, & ad consequendum rationis usum, indiget, ad studium *observandi* & *imitandi* alios natura incitatur. Quo fit, ut ad alienas vitae regulas sensim se conformet, traditasque ab iis facile suscipiat, quorum experientiae & auctoritati fidit. Hae paulatim animae insinuatae cum primum radices egerunt, vim axiomatum accipiunt, ut innatas putes. Exemplo & institutione verae falsaeque vitae regulae ab uno homine ad plures, ab una domo, ad multas intervenientibus nuptiis, a pluribus familiis ad maximam partem populi, ab populo uno ad complures bello & peregrinationibus, traducuntur, multisque seculis continuis dominantur.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Adultior demum aetas *ratione*, hoc eſt, *facultate ſua naturali nexum veritatum diſtincte perſpiciendi*, uti incipit. Hujus robur conſtat rerum, quarum copulationem cernit, multitudine & magnitudine, ac facilitate majori, vinculum, quod commune habent, diſtincte perſpiciendi. Quo firmior eſt ratio, eo clarius & certius boni malique diſcrimina pervidere poteſt.

§. XXXVII. Primas rationis partes, in optimo vitae ſtatu exquirendo, eſſe oportebat, recognoſcere vitae regulas, quas aetas infirma ſibi ipſi formaverat, (§. 35.) aut ab educatoribus vel ſodalibus latenter ac paulatim inſinuatas ſuſceperat. Verum via huic contraria plerumque initur. Non dubitatur de inveteratis opinionibus, niſi mala manifeſta & praeſentiſſima afferant, & ratio, abjecta veri boni indagatione, in eo unice enititur, ut diu probatis ac familiaribus vitae regulis convenienter iudicet, ac novas illis conſentaneas, in novis, quae occurrunt, negotiorum generibus condat, ac ſequatur. Hoc modo efficitur, ut vel error errorem gignat, vel mens a veris regulis huc usque probatis, quarum veritatem nunquam examinavit, derelinquendis, ad falſas aſſumendas, fraude malisque exemplis, facile deducatur.

§. XXXVIII. Ratione ſua ad praecepta morum colligenda recte uſurus quisque aliam viam ingreditur. Non rejicit concluſionem *ab effectu*, quem ex ſingulis actionum liberarum generibus naſci, conſtans experientia probat: ſed fallacem concluſionem rejicit, cum ex ſola ſuavitate & acerbitate, actionem quandam *proxime* conſe-

ſequente, boni malique diſcrimen colligitur. (§. 34.) Quamobrem uti natura conjuncti ſunt effectus actionum proximi, & remotiores, ita & utrosque contemplatur, ponderat, conjungit, ut quae conveniant naturae humanae actiones, quaeve repugnent, regulis firmis & omnis erroris immunibus comprehendat.

§. XXXIX. Effectus, qui ex actionibus liberis exiſtunt, alii eas ſemper conſequuntur, alii aliquando, poſitis quibusdam conditionibus. Illi *neceſſarii* (eſſentiales, abſoluti,) dici poſſunt, hi adventitii, (conditionati, hypothetici, *contingentes*). *Illi* eam in ſtatu hominis mutationem ſemper efficiunt, quae vel verae voluptatis verive doloris ſenſum ſtatim comitem habet, vel multarum mutationum conſequentium ferax, verae voluptatis verive doloris in poſterum ſentiendi germina continet. *Hi* quantitatem boni & mali, quod in effectis neceſſariis actionis ineſt, augent: ac vel ſecundum *regulas probabilitatis* praevideri poſſunt ab eo, qui actionem ſuſcipit, vel non poſſunt.

§. XL. Nulla actio libera eſt plane ſterilis, (§. 26.) ſed quaevis eſt foecunda effectuum. (§. 38. 39.) Hos obſervare, & in ſingulis actionum liberarum generibus neceſſarios ab adventitiis accurate diſtinguere, primum eſt munus rationis. Id vero qua via aggredietur? Ratio 1) dignoſcit effectus neceſſarios ex perpetuitate ſucceſſionis, cum experientia confirmat, eosdem ſemper eidem actioni ſuccedere, nullo temporum, aut perſonarum agentium

tium discrimine, ideoque eos certo praevideri posse, quia prævisi & prædicti semper consequantur, 2) concludit (a priori) ex ipsa idea actionis, & notione naturae humanae, (*natura agentis & natura actionis*) physicam hujus illiusve effectus necessitatem. 3) Eidem cognitioni inservit argumentum *ab analogia naturae*: quoniam natura universa, qua continetur humana, legibus simplicibus, sed egregie consentientibus, regitur. (§. 19.)

§. XLI. Perspectis effectibus necessariis, secundum rationis munus est exquirere, utrum illi cum disciplina seu systemate felicitatis humanae (§. 29.) pugnent an consentiant. In hoc judicio praecipue sibi caveat ab erroribus, qui in argumentis, quae ab experientia ducuntur, facile surrepunt judicantibus. Sensus externus & internus nunquam fallit, cum gratum aliquid acerbumve, tanquam tale, menti exhibet: sed ratio fallit, cum quod mens nunc sentit dulce aut amarum, idem & olim fore, certo concludit. Saepe hominem poenitet, arsisse cupiditate voluptatis cujusdam comparandae, aut doloris amovendi, vel depellendi, dum hunc non oportuisse devitari, neque illam percipi, sero intelligit. Haec vero poenitentia non est in arbitrio hominis posita, sed necessaria, cum primum quisque actionis suae necessarios effectus, tanquam naturae suae oppositos, intuetur. Contra sensu interno convincimur, non posse nos a nobis impetrare, ut damnemus actionem, ejusve ut nos poeniteat, simulatque ejus cum natura nostra convenientiam intuemur. Potius, hac perspecta, confirmatur judicium nostrum, quod de ea, tan-

tanquam nobis bona, fecimus, & ex ea ipsa comprobatione nova voluptas oritur. Ex quo efficitur, ut ratio certo concludere possit, quodlibet actionum liberarum genus, cujus effectus necessarii cum natura humana consentiunt, esse fontem verae voluptatis, confestim aut olim sentiendae, adeoque esse illud cum felicitate humana conjunctum (§. 12.)

§. XLII. Ad *naturam humanam* non solum pertinent essentia & vires corporis atque animae, & arctum utriusque vinculum, sed & illud vinculum, quo cum caeteris mundi partibus, ejusque effectore, summo Numine, homo continetur. Ratio itaque certo colligere potest, statum hominis, ex actione libera exortum, naturae, & felicitati humanae esse contrarium non solum eum, quo videat vires corporis animaeque minui, aut earum incrementa impediri, sed & eum, qui naturali rerum copulationi, & cognitis Dei perfectionibus, non respondeat.

§. XLIII. Ex his, quos exposuimus, effectibus actionum liberarum necessariis, & iis quidem solis, ratio certas vitae regulas colligit; non ex solis adventitiis. (§. 39.) Horum respectu utitur, non ut soli flectant mentem ad agendum, sed ut augeant atque intendant momenta, quae continet effectuum necessariorum cogitatio, quaeque homini, utrum agat nec ne, deliberanti sufficere debent. Sic v. c. vera erga Deum pietas semper comitem habet magnae suavitatis sensum. Spectata potest pio fructum ferre favoris alieni. Quem si non ferat, etiam latens aut contemta, suopte pretio est amabilis.

§. XLIV.

§. XLIV. Res operosa est, in actionibus, quae praesentem gignunt sensum suavitatis, aut aliquoties repetitae genuerunt, ope rationis pervidere *stamina* malorum remotiorum, & contra. Minus difficilis, & ob eam causam popularior, via multis placuit, non laborare de inquirendis boni malique criteriis, neque ea ex perpetuitate bonorum malorumque effectuum, aut ex consensu pugnaque cum natura humana, (§. 42.) repetere, sed ab auctoritate eorum, qui prae caeteris considerati, naturaeque humanae intelligentes putantur, inprimis a consentienti testimonio populorum, eorumque cultiorum. Verum felicitas in re, non in opinione singulorum, adeoque nec plurium, sita est. (§. 13.) Falli possunt homines, dumque errores suos aliis tradunt, efficere, ut qui paucis erant proprii, consensu populorum probentur, propagentur, perpetuentur. (§. 35.) In statuendis vitae regulis tot populi culti incultique a vero aberrarunt, ut nulla doctrina sit felicitati tam inimica, quam, hoc argumenti genere admisso, non possis evincere. Credere testimonio populorum, perinde ut testibus classicis, rationem scientiae suae afferentibus, vel perinde ut in doctrina corporum physicis, quorum experimenta fidem merentur, credimus, consentaneum est rationi. Sed in re, in qua felicitas agitur, hominem ultro coecum, soli hominum aeque fallacium auctoritati stare, periculosum est & saepe perniciosum.

§. XLV. Lente succrescit rationis, regulas vivendi invenientis, & secundum eas de actionibus judicantis, maturitas, ejusque non idem omnibus acumen obtingit. Quamob-

rem

rem multis non minus optabile, quam probabile, videtur, providum Numen, quod felicitatis ſtudium cuivis inſevit, peculiarem ei adjeciſſe animae facultatem *diſtinguendi bonum a malo*, a ratione diverſam. Per hanc effici ponunt, ut mens in ſummis actionum liberarum generibus eo temporis momento, quo earum ideam concipit, *vere* diſcernat, quae naturae humanae repugnent, quaeve conveniant, nec tamen rationem inquirat, aut quaeſitam reddere valeat, cur eas probet, aut deſpiciat. Evidentiae & vi hujus ſenſus interni non magis, absque vertiginis periculo, reſiſti poſſe contendunt, quam *ſenſui veri*, quo mens prima cognitionis humanae principia aſſumit, aut ſenſui interno, quo ſe ipſam exiſtere, & ab aliis differre, ſibi eſt conſcia.

§. XLVI. Utrum talis facultas homini contigerit, in facto poſitum eſt. Obſervationes ſunt difficiles, partim quod cognitu facilia, aut a teneris cognita, facile cum nativis confunduntur, partim quod cogitationes celerrime ſe excipientes ſpatium temporis, quo ad ſe ipſam conſiderandam anima indiget, ipſa velocitate ſua paene auferunt. Lubenter credimus quibusdam ingenioſis naturae humanae contemplatoribus, talem facultatem, ſumma boni malique principia, absque clara notarum, quibus diſcernuntur, cogitatione vere diſtinguentem, *indubia experientia* evinci poſſe. Hoc conceſſo, de nomine, quo talis ingeneratus viae ad felicitatem index ſit appellandus, haud aegre tranſigetur. Recte enim is ſenſus internus dicere-

cetur *moralis* a re objecta, ſcilicet *actionibus morali-bus*, quarum imaginem anima ſibi placere, aut non probari, perinde ſentit, ut ſenſus externus amarum a dulci diſcernit.

§. XLVII. Annon huc referri poſſunt hi tres regularum moralium fontes: veneratio inſita erga quodvis ens intelligens, viribus majoribus praeditum, in quarum uſu nulla imbecillitatis admixtio cogitatur; oblectatio ex harmonia actionum moralium; ſenſus humanitatis & amabilitatis, quae ineſt benignitati?

§. XLVIII. Vidimus adjumenta, quae, ne ignoremus, quid nobis proſit, noceatve, providentia divina ſuppeditavit. Eadem num ſuperaddiderit principium aliquod actuoſum, ſeu vim concitatricem, qua pellamur, ut naturae noſtrae convenienter agamus; quaerentes, reperimus *inſtinctus*, in primis *conſcientiam.*

§. XLIX. Inſtinctus naturae, omnibus communes, uti ex definitione (§. 33.) data apparet, ab iis, quae crebra repetitione in alteram quaſi naturam traductae ſunt, appetitionibus, maxime differunt. Vis eorum non ſolum in prima, ſed & in confirmata omnique aetate ſe exſerit. Cunctationem praecipue in eventibus ſubitis, ac celeritatem conſilii depoſcentibus, & in periculis adeundis, auferunt. Illos veluti nervos animae affici neceſſe eſt, cum majores animi commotiones excitantur. Voluptas ipſa, quam recentiores philoſophi *ſenſum* vel *intuitum perfectionis* eſſe definiunt, ubi ad aliquem quaſi titillationis gradum aſcenderit, nihil eſſe videtur, niſi ſenſus mutationis cujusdam cum inſtinctu conſentientis.

§. L. Inſtinctuum illorum non ea eſt vis, ut convellatur ac plane proſternatur facultas mentis, vim ſuam cogitantem defigendi in praenoſcendis bonis malisque actionis cujusdam effectibus, & huic cognitioni convenienter agendi, quae facultas *libertatis* nomine venit. Regi poſſunt, hoc eſt, ſecundum regulas naturae humanae conſentaneas temperari atque intendi, quae ſunt partes rationis.

§. LI. Quem in finem provida natura alios aliis oppoſuit, ut ratio, rectoris ſpartam ſuſtinens, facilius imperet omnibus. Ita ſtimulum, quo quisque ad ſui ipſius defenſionem incitatur, ne transeat in exitioſam vindictae cupiditatem, ingenerata vis miſericordiae cohibet.

§. LII. Omnes animae vires natura cohaerent, easque mens, in ſua ipſius contemplatione defixa, tantum cogitatione ſejungit, ut ſingulas ſeorſum conſiderando, univerſas clarius intelligat. Inſtinctus itaque & ratio non ſunt vires oppoſitae, ſed conjunctae, ut communiter operantes naturae conſiliis reſpondeant. Inſtinctus ad *praeſens* aliquid menti gratum efficiendum, ingratumve removendum, nititur: voluptas vero, quae eſt *effectus proximus* actionis, quam natura inſtimulante ſuſcepimus, etiam *vera* eſſe poteſt. Quamobrem inſtinctus non ſemper ſunt mali, inprimis in tenella aetate, duces, ſed nunquam certi: quoniam ex ſerie demum effectuum (§. 38.) tuto aeſtimari poteſt, quaenam actio verum bonum afferat homini, quaeve opinatum (*apparens*). Qua in re ne pernicioſe erretur, rationis lumen inſtinctibus natura adjunxit, rationi autem inſtinctus, tum ut hi illam impel-

pellant ad inquirendum, quid nobis conveniat agere, tum ut ad id, quod ratio agendum esse cognovit, voluntas inclinetur.

§. LIII. *Conscientiae* vocabulum complures habet significatus, partim infra a nobis indicandos. Hic nobis est vis animae insita, qua haec fertur ad contemplationem actionum suarum liberarum & collationem cum regulis felicitatis. (§. 24.) Anima dum intuetur actionis suae convenientiam vel pugnam cum illis regulis, ex *illius* effigie suavitatem, *hujus* aegritudinem, confestim sentit. (§. 41.) Conscientiam hoc significatu acceptam cum suo effectu, non a prima educatione, aut meditatione, ortam, sed natura animae inesse, quemvis diligens sui ipsius exploratio docebit.

§. LIV. Voluptas, quam anima ex cognita actionum suarum harmonia percipit, major & constantior est quavis oblectatione ex caeteris, quas possidet, dotibus, aut fortunae muneribus. Idem de aegritudine ex cognita actionum repugnantia tenendum. Bis & valde dolet, qui praesentem dolorem & futurum, quem metuit, sibi ipsi tanquam auctori exprobrat. Quo majus est malum, quo urgetur, quodve impendet, quo id clarius, seque ejus esse auctorem intuetur, eo commovetur & vehementius & diutius.

§. LV. Conscientia aliquamdiu consopiri potest, dum variis cogitationibus distrahitur animus, tolli arte humana, & ne unquam vim suam exserat, provideri non potest.

SECTIO III.

Studium hominis in se ipso reperiendi fontem felicitatis.

§. LVI. Vidimus, summum Numen homini ingeneraſſe vivax felicitatis suae studium, ejus obtinendae viam feciſſe certam, & hujus viae cognoscendae instrumenta praebuiſſe. His nitentes ſubſidiis, in eruendis & connectendis vitae felicis regulis eundem tenebimus ordinem, quem eadem natura sui ipſius interpres monſtrare videtur. Ab hac homini recens nato, adhuc ignaro, quid Deo, quidve aliis hominibus debeat, primam sui curam commendari, obſervamus. Legentes haec veſtigia, hominem per ſe primo loco conſiderabimus; deinde ab hoc primo gradu altius aſcenſuri, indiſſolubile illud vinculum diſpiciemus, quo homo cum homine, & praecipue cum aeterno mundi effectore ac gubernatore, continetur.

§. LVII. Se ſolum reſpiciens homo, & ſuo ſe quaſi orbe continens, quas felicitatis partes expetit? 1.) Vitae conſervationem, 2.) ejus, dum decurrit, jucunditatem, 3.) cum eſt moriendum, ſpem vitae melioris. Id quaeritur, quem actionum ſuarum curſum debeat tenere, ut in his conſequendis ſe ipſum non impediat.

§. LVIII. Eſſe cupiunt homines: abhorrent ab interitu: & vehementer ſtudent removere, quae

quae vitae prorogationi obſtant. Ratio hujus inſtinctus naturalis, ad ſe conſervandum & defendendum nitentis, vehementiam conſiderans, deprehendit ſapiens conſilium naturae, prohibere volentis, ne ob qualescunque moleſtias acres aut diuturnas homines capiat vivendi taedium. Ratio paeterea videt, continuationem vinculi, quod animae cum corpore ſuo intercedit, eſſe fundamentum praeſentis felicitatis, & veluti atrium futurae. (§ 17.) Concludit, eo eſſe enitendum, ut vita conſervetur.

§. LIX. Mors voluntaria oritur ex errore, per eam ſolam intoleranda vitae hujus taedia finiri poſſe. Is error uti eſt certus index animi deſperantis, ita & ingenii minus perſpicacis. Nam ut tollatur malum praeſens, plerumque opinatum, (*apparens*) certe non omni conſolatione deſtitutum (§. 31.) mali novi, gravioris, manentis, ſtatus ſcilicet poſt mortem infelicioris, certum periculum aditur. Sumitur, mala vitae diutius ferri non poſſe. Verum multae acerbitates tolli poſſunt, fonte opinionis, ex quo manarunt, obſtructo, multa aſpera brevi poſt, ſtatu praeter exſpectationem mutato, depelluntur, aut leniuntur. Fuerint autem dura perpeſſu, & vix tolerabilia, quae eveniunt homini fortem & vitam ſuam exſecranti. Quid ſolatii afferet ſui ipſius ante diem interfectio? Non certe hoc, ut omnis poſt mortem ſenſus perimatur (§. 16.). Num hoc, ut praeſenti triſtitiae, animum continuo excarnificanti, ſuccedat ſenſus jucundior? Nulla eſt ſpes probabilis, dolores, qui v. c. a valetudine corporis immedicabili (ſi de ea certe conſtare poſſit) aut ex conſcientia malefactorum oriuntur, mortem ultro feſtinatam ita eſſe ablaturam,

ut hi plane cessent, in illorum locum non succedant graviores. Dei enim beneficio patere homini theatrum jucundius, quod vitae pertaesus quisque, quando velit, ingredi possit, nulla est ratio, ex qua concludatur; summa, cur negetur: si effectum, quem sui ipsius caedes in societate gigneret, eversionem ordinis naturalis in felicitate consequenda, cum primum is a cujusque opinione vel atra bile suspenderetur, analogiam naturae, & sapientiam Creatoris, consideres.

§. LX. Non solum esse, sed & bene sibi esse, cupiunt homines. (§. 11.) Primam, ut bene sibi sit, curam corpori suo impendit anima, impulsa solo naturae ductu. Adultiori aetate, ut eidem consulere pergat, tum suavitate ex sanitate, tum dolore ex adversa valetudine, tum infinitis commodis ex corporis robore nascentibus, movetur. Quamvis enim modus ignoretur, quo animae & corporis actiones ac perpessiones sibi respondent, ipsum earum consensum experientia evincit. Sensuum, phantasiae, memoriae, ingenii, & caeterarum virium cognoscendi atque appetendi robur & imbecillitas multum a statu corporis, vel transitorio vel durabili, pendent. Anima itaque ne se ipsam in usu & incrementis virium suarum, & in perceptione verarum voluptatum, impediat, non potest non in eo eniti, ut integritatem, valetudinem, & vires corporis sui conservet atque augeat.

§. LXI. Quamobrem viam felicitatis deserunt, qui corpus, tanquam vile, & tanquam carcerem animae, negligunt, mutilant, quive illud quaesitis cruciatibus macerant, non eo con-

consilio aut effectu, ut ejus valetudinem ac vires restituant, sed ut has frangant & imminuant. Nititur contra hunc errorem natura, admotis stimulis defensionis, famis, sitis, & fuga insita talis doloris. Omnem quippe dolorem mens, maxime voluntarium, defugit, nec semet eo affecta consolari potest, nisi vivida cogitatione doloris gravioris, qui alias evitari non potuisset, aut boni majoris, ad quod consequendum unica per dolorem via patebat. Quodnam autem bonum majus est, cujus spes verosimilis quenquam impellere potest, ut corpus suum sanum & vegetum laceret? Opinio excellentiae? Nulla in imbecillitate inest praestantia. Mentem obdurare ad quaevis aspera, etiam inopinata, patienter ferenda? Sic malum certum pro incerto eligitur, & remedium violentum minus efficax, cum suppeteret mitius. Sanctitas & major apud Deum gratia? Non potest eodem facto Deus honorari, quod ejus consiliis, per constitutionem naturae humanae significatis, (§. 19.) refragatur.

§. LXII. Cum anima indigeat viribus corporis, ut suas ipsa vires extendere, iisque recte uti possit, (§ 60.) vires autem corporis non usurpatae non solum non perficiantur, sed & debilitentur: concludit ratio, desidiam non convenire homini, sed laborem. Videt naturam ipsam homines ab illa revocare, ingenerato *instinctu efficacitatis*, (*activitatis*) quo nituntur ad vires, praecipue corporis, acquirendas, & eas, quas habent, usu corroborandas: cujus impulsus vim in primis infantes produnt. Spes grata prosperi successus alit efficientiam: effectum virium suarum videre, est dulce condimentum laboris consummati,

& acre incitamentum novi. Desidia igitur ab infirmitate corporis, educatione, imitatione, interdum a superbia profecta, accedente assuefactione in venis medullisque insidens, naturae repugnat.

§. LXIII. Naturalis homini intercedit necessitudo cum variis rebus extra ipsum positis, quarum possessione & usu & ad vivendum & ad vivendum jucunde, hoc est, ad vigorem corporis atque animi perficiendum, & ad potiundum variis verarum voluptatum generibus, indiget. Hae res quatenus considerantur tanquam habiles ad eum ipsum usum hominibus praestandum, recte & numero *bonorum* habentur, & nomine appellantur. Levis est veterum quorundam objectio, bona esse negantium, quibus ademtis aut non impetratis feliciter vivi possit. Dantur enim felicitatis partes etiam *transitoriae*, quarum accessione ipsius gradus augetur, decessione minuitur. (§. 7. 14.)

§. LXIV. Horum bonorum *pretium internum* positum est in relatione, quam habent ad felicitatem ea desiderantis aut possidentis. Et ex hoc quidem pretio dijudicari potest, quodnam quantumve desiderium eorum, vel consequendorum, vel retinendorum, sit naturae consentaneum. Duplex vero est genus *indigentiae* verae, alterum absolutae, (physicae) alterum *hypotheticae.* (relativae.) *Haec* quibusdam hominum in societate viventium classibus est *propria*, & oritur ex ipsorum *statu adventitio & artificiali*, infra exponendo, quo fit, ut ad sua ac communia mala depellenda, & bona amplificanda, multis rebus indigeant, qui-

bus

bus alii diverſae conditionis homines, abſque felicitatis ſuae & communis damno, deſtituuntur. Indigentia abſoluta, omnibus communis, eas res complectitur, quarum privatio vel vitam, vel ſecundam valetudinem, vel vigorem corporis & animi, deſtruit aut diminuit. Ex magnitudine malorum eam privationem conſequentium gradus illius indigentiae aeſtimari poteſt.

§. LXV. Naturam eſſe paucis contentam, arctoque contineri ambitu indigentiam *abſolutam*, (§. 64) *Nomadum*, vetuſtarum gentium bellicoſarum, praecipue Borealium, & tenuiorum quorumque vita ſimplex & ſimul jucunda, demonſtrat. Nihil habenti *Abdolonimo* nihil deerat quoque. Verum ut extendantur termini indigentiae, & multo latius pateant hominum, quam naturae, deſideria, efficitur, & quidem inprimis in ſocietatibus majoribus, *prima educatione*, *imitatione*, *& aſſuefactione.* Conſuetudo multa habendi, quae ſingula aliquantum voluptatis poſſidenti afferre poſſunt, aut multa habentes aemulandi, parit conſuetudinem, multa deſiderandi. Sic in definiendis vitae neceſſitatibus primum homines *ſervire* ſolent aliis, mox ſibi. Pretium bonis minus neceſſariis externum, *interno* (§. 64.) infinite majus, ſtatuentes, ſi magnam eorum copiam habent, non fiunt beati, ſi parvam aut nullam, non re, ſed ſua opinione, ſunt miſeri. Ex iisdem cauſſis intelligi poteſt, quî fiat, ut magna non ſolum inter homines diverſos ſit convenientia vel diverſitas idearum de indigentia, ſed & earum in eodem homine, diverſis temporum articulis, magna quandoque viciſſitudo.

§. LXVI. Cum opinio ejus indigentiae, quae a *sola imitatione* & *assuefactione* oritur, (§. 65.) inprimis animos torquere soleat continuis desideriis, aut continuo carendi metu: non defuere, qui causam mali ponentes in nimia mentis proclivitate ad voluptates sensuum expetendas, has fere omnes a notione felicitatis excluserunt. Suntne igitur hae voluptates repudiandae, tanquam per se noxiae, bona vero, quae illas praebent, levis aut nullius pretii? An hoc demum est vivere, ejusmodi res perinde pro nihilo habere, ut quondam habuit *Scythes Anacharsis?* qui *Hannoni* dona oblata remittens, in haec verba rescripsit: *mihi amictui est, Scythicum tegmen, calciamentum, solorum callum, cubile terra, pulpamentum fames; lacte, carne, caseo vescor.* &c.

§. LXVII. Quamvis voluptates sensuum sint *breves, sine varietate insipidae, cum aetate transitoriae,* ideo non sunt falsae. (§. 9.) Licet aliquando animos efficiant molles: non omnes tamen corrumpunt, nec quemquam necessario. (§ 43.) Anima potius iis indiget, ad vires suas conservandas ac perficiendas. Denique natura suas offert copias hominibus, & hos sic formavit, ut iis & possint frui, & cupiant. Proinde eo eniti, ut res, quae sensus suaviter afficiunt, omnes despicias, est aspernari beneficia naturae, felicitati hominum optime consulentis. (§. 20.)

§. LXVIII. Nocent vero voluptates, quibus asotorum vita diffluit, quoniam perceptae corpus & animam enervant. Non autem usus, sed *opinio indigentiae* facit, ut noceant illae, quae quamvis innoxiae, tamen assuefactione adeo exci-

tite-

titerunt necessariae, ut iis carere miserum putetur. (§. 65.) Denique nocet, his adeo asuescere animum, ut sint *unicae*, quibus pasci cupiat. Mens enim his solis indulgens, & a majorum bonorum studio avertitur, & impletur taedio sui ipsius. Hoc est vel *temporarium*, cum in voluptatum praeteritarum & novarum intervallis, voluptarii, ob inanitatis suae conscientiam, se ipsos fugiunt, vel *perpetuum*, cum, ingravescente aetate, rigentes corporis nervi, ad talium jucunditatum suppeditationem inertes, vitam efficiunt languidam, torpentem, moestam.

§. LXIX. Neque vires corporis, neque bonorum copia, & usus rationi consentaneus, sufficiunt ad feliciter vivendum. Nam haec sunt caduca, corporis vires infinitis casibus expositae. Anima igitur, ut certam spem stabilioris jucunditatis concipere possit, in eo elaborare debet, ut se non quaerat extra se, sed ut perennem voluptatis fontem in se ipsa recludat.

§. LXX. Id efficiendi viam natura indicavit. Ingeneravit sciendi cupiditatem, quae infantibus acrior inest, quoniam eorum intellectus, tabulae rasae non dissimilis, celeriori multarum idearum & adeptione & conjunctione indiget. Praeterea inventio ac dijudicatio veri, & inprimis perspicientia nexus veritatum, tantum habent suavitatis, & ejus quidem *constantis*, mentemque quasi dignitatis suae sensu adeo erigunt, ut ejus ipsius suavitatis adipiscendae & fruendae studium *systemate felicitatis naturalis* (§. 29.) comprehendi, ex hoc *naturae*, eam homini diligenti offerentis, *facto* (§. 19.) intelligatur.

§. LXXI.

§. LXXI. Reputans haec naturae incitamenta ratio, & cum iis conferens magna, quae ex ignorantia & errore nascuntur, incommoda, concludit, eo esse enitendum, ut 1.) *suas ipsius vires perficiat* anima, iisque utens, 2.) quantam potest, *copiam cognitionis utilis* in suo quasi fundo colligat. Perficit vires suas, cum facilitatem acquirit, iis recte utendi. Debilitas & corruptio earum est posita vel in usu earum naturae contrario, vel in difficultate quadam & lentore, mentem iis uti volentem impediente. v. c. *Sensus externi* perficiuntur cum multas res praesentes simul clare & vere menti exhibendi facilitas comparatur. Similiter *gustatus* perficitur, cum mens promtitudinem consequitur, *naturale* discrimen inter id, quod est pulchrum, & deforme, *clare* & *vere* intuendi. Omittimus vires reliquas, in quibus explicandis versantur psychologi.

§. LXXII. Cognitionem *utilem*, cujus acquirendae studio animam, felicitatis suae amantem, teneri debere diximus, (§. 71.) vocamus eam, quae malis hujus vitae propellendis aut leniendis, bonis vero augendis, inservit, praecipue illis bonis, quorum fructus post mortem propagantur. Pretium hujus cognitionis ex magnitudine bonorum aestimandum est, quorum adeptioni adminiculatur.

§. LXXIII. Ex his patet artium & disciplinarum praestantia. In viribus enim animae perficiendis usum praestant, & uberiorem cognitionis utilis & jucundae copiam subministrant. Barbaries per se non est plena ferociae & feritatis, ac vita populorum incultorum agrestis, pastoritia, venati-

natica, vaga, differt a vita omnino *animali*, plusque id genus hominibus saepe praestat ignorantia mali, quam cultioribus populis cognitio boni. Sed minoribus tamen periculis damnorum, quae ab ignorantia, & inprimis ab errore, nascuntur, expositum est ingenium expolitum, quam rude & iners, omnis culturae insuetum & impatiens.

§. LXXIV. Neque vero ingenio summo, & insigni rerum scientia praeditum, recte dixeris beatum, sui potens si desit animus. Aliud insuper robur mentis exigitur, ut sis felix. Non quaevis enim cognitio *vera & distincta*, etiam boni & mali, est vivax, id est, vim habet flectendi mentem, ut ei convenienter decernat. Cum aliud libidine, mente aliud suadente, praeponitur status, ad quem illa impellit: quodammodo invita, nec *sine sensu voluptatis ac doloris mixto*, (§. 5.) eligit anima id, quod, dum placet, sibi nociturum novit, sed tamen eligit. Quem latet *Medeae* videntis, quid moliretur, & tamen in vetitum nefas ruentis, furor? Quem *Myrrhae* dubitantis, cunctantis, saepe gradum revocantis, trepidantis, libidinosus in torum patris ingressus? Quae causa mali? Quod remedium?

§. LXXV. Fons mali proximus est error. Vel enim falsum pro vero bonum (§. 9. 10.) eligitur, aut malum opinatum, quod vere bonum erat, declinatur, confusis utriusque notis: vel erratur in dimensione boni & mali, dum minus majori praeponitur. Quod bonum & malum sit majus, quodve minus, ex iis, quae de voluptatis aestimatione diximus, (§. 7.) definire licet. Igitur qua-

quatuor modis fieri poteſt, ut mens, dum eligit & agit, a vera felicitatis ſemita aberret.

§. LXXVI. Utrumque erroris genus (§. 75.) vel oritur ab ignorantia verarum felicitatis regularum, (§. 24.) cui quemadmodum ſit medendum, vidimus, (§. 71.) vel ab imbecillitate libertatis. Libertas (§. 50.) languet, cum mens *inopia virium attentionis* laborat, id eſt, cum majorem ſentit difficultatem, remotis diverſi generis cogitationibus, ſeriem effectuum actionis ſuae praemeditandi, eos ponderandi, & huic demum clarae & verae cognitioni convenienter agendi.

§. LXXVII. Hujus imbecillitatis cauſae, quatenus eas experientia & ratio ſcrutari valent, ſunt aliae propiores, aliae remotiores. Propior cauſa eſt vivida cogitatio effectus grati proximi, quae vel omnem ſupprimit cogitationem effectus acerbi diu poſt exstituri, vel hanc reddit inefficacem, inertem, vi movendi paene omni deſtitutam. Quod quemadmodum eveniat, ſupra (§. 8.) indicavimus. Temporis brevitas, & ſic velocitas, qua mens boni malive magnitudinem, probabilem adeptionem, appropinquationem, videre & quaſi ad calculos revocare poteſt, auget motum, & adeo mentem tenet & quaſi claudit, ut cogitationi contrariae vel plane non, vel non diu, neque ullo effectu, pateat. Proponantur duo mala, alterum grave & proximum, alterum gravius, ſed remotum. Mens videt illud cum praeſenti ſtatu ſuo propius, quam hoc, connecti. Malum remotum ob multos caſus, qui intervenire poſſunt, non tanquam aeque certum & praeſens intuetur, & qualemcumque ſpem alit, poſſe illud evitari,

modo

modo proxime instante, quo se urgeri putat, malo privetur. Quanto celerius phantasia in suppeditandis similium malorum imaginibus ipsam agitat, eo facilius malum proxime instans tanquam praesens intuetur, & *praesentire* incipit, adeoque optione facta, malum remotius eligit, ut praesenti anxietate liberetur.

§. LXXVIII. Cum brevitas temporis, intra quod anima percurrit momenta ad agendum, augeat efficientiam cognitionis: (§.77.) patet, cur *distincta* cognitio *minus valide* inclinet voluntatem. Diuturnior intentio mentis ad cogitanda actionis effecta, alia post alia, tum propiora tum remotiora, & tarda horum anatome, debilitat vim impulsus. Sic potest fieri, ut cognitio, cum incipit admodum distincta fieri, actuosa esse desinat. Quod ne eveniat, quid faciendum? Mens adsuescat, effectus remotiores aeque attente & clare videre, ac videt proximos, & illos sibi perinde, ac si essent praesentes, ante oculos ponere. Anima eos *intueatur* necesse est. Nam si verba tantum, quibus comprehenduntur, cogitet, rem simul non cogitet, iners erit cognitio boni, & absque igniculis. (*Sit cognitio intuitiva, non symbolica.*) Sic judex jurantem moniturus, ne pejeret, passim non satis habet, mala divinitus imminentia generatim minari, sed fulmina Jovis, & in hac vita metuenda, enumerat, ac symbolis ea malā repraesentantibus dicta confirmat, ut jurans in ea, tamquam certa & jam cervici imminentia, intueri videatur.

§. LXXIX. Ad remotiores libertatis languentis causas, quatenus eas experientia & ratio aperiunt,

riunt, referimus indolem nativam, propensionem dominantem, concitatiores animi commotiones, quae vulgo dicuntur *affectus*. *Indoles nativa* (*temperamentum*) est *proportio nativa instinctuum naturalium*, qua aeque differunt homines alii ab aliis, atque *ingenio* latius dicto, hoc est, *nativa proportione virium cognoscendi*. Hujus differentiae causa haud distincte intelligitur: quandam esse positam in diversa corporum constitutione, recte asseritur. Nativa indoles *non tollit* libertatem. (§. 50.)

§. LXXX. Propensio *dominans* oritur ex adsuefactione, aliquod jucunditatis genus prae caeteris valde expetendi. Unde sensim nascitur promtitudo, quidquid tanquam jucundum proponitur, ad hunc quasi lydium lapidem exigendi, celeriter appetendi ei consentanea, fugiendi contraria, & mentis attentionem revocandi a cogitandis & expetendis iis, quae cum ista propensione nullam, aut certe haud propinquam, cognationem habere videntur. Proprium est *propensioni dominanti*, efficere inertiam, & *quasi paralysin* virium, res quasque aestimandi suopte pretio, & hanc menti servitutem injicere, ut quidvis bonum & malum ex convenientia, aut pugna cum ea sibi alte infixa affectione judicet ac metiatur. Haec servitus cum aegre sanetur, a) constanti & vivida cogitatione mali eam consequentis, b) exercitatione, sibi, quae cum ea propensione consentiunt, quamvis innoxia & bona, negandi, tempestive providendum, ne inolescat.

§. LXXXI. Affectus, (status animae aliquid vehementius appetentis aut aversantis) qui minus accurate *passiones* vocantur, non omnes sunt indicium libertatis eo, quo fervent,

vent, tempore ita proſtratae, ut homini noceant; neque cum veteribus quibusdam *perturbationes* dici, & ad *intemperantiam* referri, merentur. Bona alia aliis ſunt expetibiliora. Impetus itaque voluntatis ipſorum magnitudini, & rectae, quamvis *confuſae*, de ea cognitioni par, per ſe non eſt contra naturam. Ut ideo non eſt mala veri aliquanto abſtruſioris indagatio, licet magna ingenii contentione opus ſit, & poſt eam anima aliquam debilitatem ſentiens, virium reſtauratione indigeat: neque a labore homines abſterrere debet ſequens corporis defatigatio: ſic nec quivis affectus nocet, licet motum animi ac corporis majorem excitando, aliquam infirmitatem relinquat, brevi tollendam.

§ LXXXII. Nocet vero affectus, 1) quo quis fertur ad ea expetenda, quae fugere, & ad ea fugienda, quae expetere debebat: 2) qui adeo movet animum & corpus, ut malum, ex hujus motus vehementia ortum, ſuperet bonum, ad quod conſequendum nititur. (§. 75.)

§. LXXXIII. Ne affectus ex *falſo judicio* de bono maloque oriatur, remedium neceſſarium eſt, emendare cognitionem. Ne commotio animi, ex vero iudicio orta, *modum excedat*, cauſae vehementiae, tum propiores, tum remotiores, indagandae, & quantum fieri poteſt, removendae. *Illae* vel a ſtatu praeſenti corporis pendent, cum mens exardeſcit, vel 1) a compluribus ideis ſimilibus, 2) *celeriter* (§. 8.) ope ſenſuum & phantaſiae accumulatis, quae tam valide urgent, ut cum ad ſummum affectus gradum pervenit, ſua ſponte deferveſcat. Inter cauſas *remotiores* re-

ferimus *propensionem dominantem*, (§. 80.) & frequentiam ejusdem commotionis, quae cum venit in *consuetudinem*, oritur impotentia virium eidem nascenti resistendi. Eadem consuetudine fit, ut manentes vultui notae quandoque imprimantur, ad quas investigandas comparata est *ars physiognomica.*

§. LXXXIV. Libertas (§. 50.) non impedita, id est, actuosa submotis efficacitatis suae obstaculis, vulgo dicitur *moralis.* Hujus primus gradus est, causarum, quae ejus imbecillitatem gignunt, sive impedimentorum ipsius efficaciae obstantium, cognitio, & tentata remotio. Crescit pro ea ratione, qua causae aliae atque aliae ejus vim impedientes enervantur. Major ejus gradus est id, quod *robur mentis* dicimus: cujus duae sunt partes praecipuae, altera, in *victoria sui ipsius* posita, altera, in *fortitudine & patientia.*

§. LXXXV. Se ipsum vincit, qui id, quod voluptatem cum praecipua propensione sua propius connexam & magnam spondet, absque angore, (instinctu contrario haud potenter obluctante) dimittit, ut majori bono, licet valde remoto, olim potiatur. Id bonum si *recta via* alios homines beat, & demum *oblique* ipsum: multo nobilior est illa sui ipsius victoria. Serenitas mentis ex tali actu nata, spes probabilis fore, ut jactura, quam fecisti, compensetur, tacita veneratio, quam talis indoles cuivis spectatori, etiam invido, incutit, (§. 47.) evincunt veritatem hujus regulae: ut sis felix, vince te ipsum.

§. LXXXVI.

§. LXXXVI. Dolorem, praecipue acutum, quem natura impellente refugimus, ratione suadente, aliquando expeti oportet. Id vero facere, in potestate nostra positum est: quoniam uti sensus mali gravioris obtundit sensum minoris, ita & metus doloris vehementioris futuri vincit metum levioris. Exigitur duntaxat, ut mens ea, quae metum illum mali gravioris in se ipsa efficere, & alere, & intendere possunt, sibi vivide exhibeat, velut certe extitura, nisi malum, licet acerbum, minus tamen grave, elegerit, ut majus evitet. Promtitudo hujus deliberationis & decreti appellatur *fortitudo.* Haec est robur mentis, (§. 84.) positum in promta susceptione periculi summe verisimilis magnorum malorum impendentium, ad vitandum malum *vere* gravius, licet remotum. His notis facile distinguitur tum a *temeritate*, tum a stupida periculorum instantium ignoratione, audaciam coecam impellente, quam prosper eventus excusare nequit.

§. LXXXVII. Fortitudo cum nos a majoribus malis liberet, ac viam gravioribus bonis aperiat, conjuncta est cum felicitatis studio. Cumque singulare robur virium mentis prodat, omnibus videtur venerabilis (§. 47.). Ad excitandos ejus igniculos, non est opus continua periculorum consuetudine & quasi familiaritate, (v. c. bellis perpetuis, ut impavidus militum animus in Rep. militari conservetur) sed iis remediis, quae vividam efficiunt aluntque cogitationem mali majoris insuperabilis, trepidationem & ignaviam consequentis.

§. LXXXVIII. Urgemur malis, quae natura stimulante nos tanto magis aversari necesse est,

 quan-

quanto eorum depulſio minus nobis videtur veroſimilis: id quod accidit, cum eorum cauſas ignoramus, aut has removere, vires noſtras ſuperat. Succumbit dolori, qui totus eſt in ejus gravitate, & veroſimili perennitate, cogitanda: atque ad eum intendendum varias acerbitates, a phantaſia & memoria ſuppeditatas, ſimul accumulat. Ita fit, ut cogitationes triſtes in anima dominentur. Quo facto cauſae, cur eſſe malis, quam non eſſe, ad minimum redigi videntur. Triſtitiae ſummus gradus eſt, ſi quis ne quidem infimum felicitatis gradum ſibi ſupereſſe putet, omnique jucunditatis ſenſu peremto, cupiat non fuiſſe, denique optet, ut eſſe deſinat. Haec cogitatio miſeriae non eſt effectus neceſſitatis cujusdam phyſicae effrenate dolendi, ſed vitium hominis, libertate ſua non recte utentis. Remedium minus naturale adverſus nimiam ex malis aegritudinem, eſt ſtudium faciendi, ut mens ad omnem doloris ſenſum percalleat, atque inducat apathian. Praeterquam enim quod mens obdurata, quum eſt opus, teneritatem non magis recuperare poteſt, quam, poſt ſtuporem remediis ſoporiferis contractum, aegrotus priſtinum vigorem: talis vita *unius coloris*, ut quidam veteres eam vocant, foret vita nullius ſaporis.

§. LXXXIX. Obtundere ſenſum mali nimiis voluptatibus corporis, eſt facere dulci veneno, ut malum ingraveſcat. Num quid igitur ſolatii, praeter lenimentum ex religione, & ex longinquitate dolorem minuente, ſupereſt animae, quod a ſe ipſa ſumat? Praevidenda ſunt tela: arti praeterita obliviſcendi ſtudendum: comparandae plures voluptatum cauſae, ut quibusdam ſubductis non deſint aliae. Robur mentis, dum malis urgetur, vi-

vide

vivide cogitantis causas voluptatum, quae superſunt aut comparari poſſunt, & illis fruentis, his potiri conantis, appellatur *patientia.* Huic ſtudendum, tamquam remedio doloris, ex malo orti, vehementiam frangendi, ſiquidem non tam ſenſus doloris, quam angor ei ſocius, ne is dolor diu ſit tam vehemens, ut quemvis jucundi ſenſum ſuperet, moeroris gravitatem conſtituit.

§. XC. Mala & bona hujus vitae magnam partem ſunt fortuita. *Fortuna* eſt ſeries cauſarum concurrentium ad eventus humanos, quae vel univerſe ab hominibus ignorantur & impediri nequeunt, vel ab eo, cui proſunt vel nocent. Haec eventa, quae tantum reſpectu *cognitionis aut virium noſtrarum* dicuntur *fortuita*, divinatione, artibus magicis &c. inveſtigare, eſt hominis tum ſtulte id, quod fieri non poteſt, tentantis, tum, quantum ſit ejus ignorantiae pretium, neſcientis. Futuri temporis exitum caliginoſa nocte premit Deus, ne ſuavem boni impretrati ſenſum adimat exſpectatio, nec mali gravitatem infinite augeat longinqua ſollicitudo, & ſic intereat *ars fruendi* praeſentibus, & futura regens prudentia.

§. XCI. Cavendum eſt, ne in actionibus regendis fortunae adverſae metus, aut ſpes ſecundae, fiat momentum palmarium, quo ad agendum commovearis. (§. 43.) Ob metum, ut effectus actionum liberarum *fortuiti*, a cauſis non praevidendis vel non impediendis pendentes, votis noſtris reſpondeant, nunquam eſt omittenda actio, quae ſuſcepta ſpondet effectus bonos neceſſarios, vel & adventitios, qui ſecundum regulas veriſimilitudinis praevideri poſſunt. (§. 39.) Contra ob ſpem inficetam talium eventuum proſperorum nunquam

eſt ſuſcipienda actio, cujus effectus fore malos, veriſimiliter praevidetur, aut praevideri poteſt.

§. XCII. Inde patet, quid ſentiendum ſit de conatu valde difficili, ancipiti, moleſtiarum & periculorum pleno, ex cujus ſucceſſu multum boni probabiliter ſperatur. Rationes enim, quibus ad tentandum tale periculoſae plenum opus aleae recte movemur, ſe habent in ratione compoſita, *a*) veroſimilitudinis, fore ut deſtinata perficiantur, *b*) magnitudinis bonorum conſequentium, ſi conatus habeat exitum, *c*) levitatis malorum, quae ex ſucceſſu proſpero aut improſpero naſci poſſunt. His obſervatis, non poteſt quenquam poenitere facti, cui fortuna defuit, conciditque vetus dictum THEOPHRASTI, *vitam regit fortuna, non ſapientia.*

§. XCIII. Magno virium robore pollet, qui in fortuna, conſiliis bonis & prudenter ſuſceptis perpetuo adverſa, patiens (§. 88.) & fortis (§. 86.) fert, quae mutare nequit, & amara temperans ſpe ac prudentia recte agere pergit. Majori autem robore is praeſtare videtur, quem non impedit ventus perpetuo ſecundus, quo minus turgida vela tempeſtive contrahat. Dolor enim, quo is afficitur, cujus deſtinatis fortuna obſtrepit, habet acrem ſtimulum, ut mentis quaſi nervi adſtricti validius mala eventa arte corrigere, & ab urgente malo ſe liberare, conentur. Voluptas vero, fortunae perpetuo ſecundae comes, facile relaxat fibras animi; hinc ſucceſſibus ſuis ebrium, ideoque a metu alterius ſortis ſecurum, adeo enervat, ut mutatis fortunae vicibus dolendi non faciat

ciat modum, & impos consilii remedium nec reperiat, nec tentare ausit. Quanto difficilius est huic quasi nervorum animae relaxationi in magna fortuna resistere: eo majorem, qui id facit, *libertatis suae* (§. 84.) gradum demonstrat. Bellorum historia probat, multis ducibus longe facilius fuisse, praesentia animi reparare cladem, quam victoria uti. Notum est *Abdolonimi* dictum & verum.

§. XCIV. Mors incubans omnibus, eventuum, habita temporis incerti ratione, fortuitorum (§. 90.) omnium est certissimus. Cum natura fecerit, dulce ut sit vivere: illius dissolutionis, quae vitam finit, cogitatio non potest non aliquid habere acerbi. Sed cum non omnis dolor felicitati noceat, (§. 14) quidam & ei conveniat, nempe is, per quem major dolor devitatur, aut majus bonum acquiritur: (§. 61.) patet, mortem, hoc modo consideratam, non semper *malis veris* adnumerari posse. Ut dolorem corporis acutum non defugimus, quem fore brevem, & cujus toleratione gravioris doloris, v. c. tabis, consecutionem nos esse impedituros, clare cognoscimus: ita & moriendi dolor non est valde pertimescendus, multo minus pro rerum *terribilium maxime terribili* ducendus, quatenus per mortem vita, quae in posterum vere misera futura erat, finitur, aut per eam vitae beatioris initium recte sperari potest.

§. XCV. Metus mortis, quo homines excruciari solent, vel continuo rodit animum, vel subito fortitudinis igniculos, imminente periculo, extinguit. Adversus sollicitudinem perpetuam multi inani conatu praesidium quaerunt in suppressa mortis cogitatione, & studiose vitatis iis omni-

bus, quae tristem mortis imaginem ipsis praesentem exhibere possent. Adversus repentinam ignaviam complures populi, praeter assiduam periculorum consuetudinem, superstitione & fraudibus uti consueverunt. Verum, hae instar strategematum, aliquamdiu valere possunt; detecto errore, summae audaciae confestim succedit summus pavor. Naturae magis accommodatum est remedium, ut metus mortis subitus *metu* ejus vitatae *majori*, & longinqua de morte sollicitudo *meditatione mortis perpetua*, superentur. Vivida cogitatio mali majoris, ignaviam consequentis, *mortis contemtum* inducet animo, ut intelligat, stulte se *propter vitam vivendi perdere causas.* Certa persuasio de perennitate vitae post mortem, peractio eorum, *quae moriens facta fuisse velis*, spes firma vitae beatae, inferius explicanda, liberabunt sollicitudine animum. Ita intelligetur, angorem ex mortis cogitatione susceptum esse *voluntariam aegritudinem*, quae mortem necessariam non avertat, sed unum hoc praestet mortalibus, ut *sensus mortis* ante horam decretoriam propria ipsorum culpa infinite multiplicetur. Igitur ut jucunde vivas, mente parata & solida expectes momentum, quo de prima statione discedere jussus, in domicilium melius evoceris.

§. XCVI. Hactenus prosecuti sumus hominem, id virium suarum naturalium perfectione & usu assequi molientem, ut vita leniter defluat. Studium virium suarum incrementa quaerendi, earumque possessione gaudendi, est id, quod *amoris erga se ipsum* nomine vulgo comprehenditur. Is amor est *verus*, adeoque bonus, si verae sint vires, quae quaeruntur, & vera earum possessio qua gau-

gaudemus. Sin quis habeat pro viribus, id quod re vera eſt plenum imbecillitatis, aut viribus gaudeat, tanquam poſſeſſis, quas non poſſidet, is amor ſui ipſius eſt *fatuus*; & re vera non *amor*, ſed *odium* ſui.

§. XCVII. Uti parum ſe amant, qui nimia virium ſuarum diffidentia laborantes, id, quod praeſtare poterant, aggredi verentur; ita & non tam nimio ſui amore, quam nullo, ſe proſequuntur, qui ſibi multo, quam ſunt, validiores videntur. *Superbia*, *modeſtiae*, (*humilitati*) oppoſita, ex *defectu perſpicaciae* in ſe ipſo cognoſcendo & dimetiendo orta, noxiam menti caliginem inducit, quae, ſuppreſſa infirmitatis, maximas quoque vires comitantis, cogitatione, impedit, quo minus id, quod his deeſt, ſuppleatur. Inflatus majori, quam par eſt, virium fiducia, ſubſiſtit, & ardorem in bono progrediendi reſtinguens, ſe odit.

SECTIO IV.

Creſcens ſingulorum felicitas ſocietatis humanae auxilio.

§. XCVIII. Ab ortu inde ſuo ſocietati humanae prius implicantur homines, quam, quid ex ea referant commodi, intelligunt. Infirmi, alimentorum atque doctrinae egentes, nutriuntur ab adultioribus, & ab aliis, ſive educatoribus, ſive familiaribus, ſermonem, & cum ſermone rationis uſum, velut traditum

accipiunt. Sentit infans fugam insitam solitudinis, atque instinctum & attente observandi, & imitandi alios, praecipue aequales, atque jucunda cum his & acerba communia habendi. Ad haec impellitur facienda: haec fecisse juvat: his, tanquam necessariis, adsuescit. Firmiori demum aetate, multa & magna, quae a societate nascuntur, emolumenta distincte intelligere incipimus. Tum ratio, subductis boni malique calculis, concludit, minus, quam fieri potest, felicem fore hominem, si sit solivagus. Vis instinctuum, vis consuetudinis, sensus utilitatis ex societate perceptae, frangunt taedium, quod ex variis ejus incommodis suboritur, & efficiunt, ut eorum, qui, *Pachomium* secuti, segregant sese ab hominibus, sint admodum pauci.

§. XCIX. Eandem assertionem probat *argumentum* ab *analogia* (§. 40.). Nihil in mundo observatur solitarium, connexa sunt omnia cum omnibus, & singula cum singulis ita sunt coagmentata, ut res altera alteri semper adminiculetur. Cum natura sibi perpetuo sit consentanea: (§. 19.) vel ex hoc argumento patet, eam non posse non esse conditionem generis humani naturalem, ut homo hominis ope indigeat. Voluntas sapientissimi rerum universarum opificis ex factis cognoscitur. Mutua itaque indigentia, & instinctus fruendi societate, manifesto demonstrant consilium Dei, homines *conjungendi*, & definitum quendam felicitatis gradum ipsis ea sub conditione destinandi, si mutuam sibi opem praestent. Ex quo patet, Deum non probare id vitae genus solitariae, per quod natura conjuncti divelluntur.

§. C.

§. C. Quamobrem omni ex parte vera eſt felicitatis regula: naturae humanae haud convenit vita ſolivagi, ſed vitae cum aliis degendae communitas. Haec hominum copulatio, per quam fit, ut ad definitum felicitatis gradum obtinendum conjunctis viribus nitantur, dicitur *ſocietas generis humani.* Quae recte vocatur naturalis, quoniam illa conglutinatio hominum a natura proficiſcitur. Cum ſit naturalis: *divinitus inſtitutam* eſſe apparet. (§. 29.) Noti, ignoti, atri, albi, magni, parvi, omnes cum ſint homines, ſunt & ſocii naturales.

§. CI. Supereſt igitur, ut videamus, num natura, quos ſocietate indigentes fecit, ut vitam feliciorem degant, eos ad ſocietatem colendam *aptos* fecerit, hoc eſt, pronos ad mutua commoda conſociatis viribus amplificanda, an potius tam mali ſint ſocii, quales *Hobbeſius*, gravis naturae humanae accuſator, quique eum ſequuntur, pingere ſolent. Secundum hos, homo ſibi ipſi nunquam non repugnat; eget ſocietate, appetit eam, & ſimul inſita ſibi malitia ſemper incitatus evertit. Mutus, cum prodit, nudus, egenus, vix adultior aliorum commiſeratione vitam ſervavit, viresque acquirere & iis uti didicit, atque eodem momento, quo, quid valeat, ſentire incipit, apparet, quam ſit inhumanum animans, malignum, invidum, ultionis cupidum, crudele, arrogans, ſui commodi cauſa nulli fidum, intractabile, niſi ſumma vi ſemper trepidare cogatur. Ante bis mille annos *Dicaearchus* in *libro* de *interitu hominum*, collectis & comparatis cauſis, quibus eſſent conſumti homines, concluſit, plures deletos eſſe bello & ſeditionibus, quam omni reliqua calamitate. Alia num hodie luditur fabula?

§. CII.

§. CII. Fallit, quae ex his factis concluditur, naturae accusatio. Inest in homine nativus quidam *sensus humanitatis:* hoc est, sensu interno agnoscimus praestantiam hominis, tanquam hominis, quatenus cum aliis rebus animatis & inanimatis comparatur, atque sentimus sympathian quamdam, qua fit, ut aliorum hominum bona & mala contuentes, ea celeriter ad nos, perinde ac si nobis evenissent, referamus, & continuo vel suavitate, vel acerbitate, ex ea contemplatione afficiamur. Observamus praeterea in homine sensum amandi oriri ex *amabilitate*, quae inest in *benignitate*, (§. 47.) hoc est, *promptitudine aliorum bonis gaudendi, & ea lubenter amplificandi.* Hujus sensus interni vi efficitur, ut abominemur imaginem *Timoni* similem, ut placeant etiam ignoti, in quibus benignitas conspicitur, ut admiremur nobilia facinora, quae, quamvis valde periculosa, pro aliena salute suscipiuntur. Praeter hunc sensum approbantem, quae prosunt societati, reprobrantem ei contraria, ingenerati sunt *stimuli*, quibus homo ad hominem juvandum incitatur absque ulla lucri exspectatione, ob solam suavitatem facti. Hi instinctus ei, quo ad felicitatem quisque suam fertur, tanquam fonti omnium instinctuum communi, subjecti sunt, non, ut quidam volunt, ei a latere positi.

§. CIII. Inest homini instinctus benignitatis: qui vel tendit ad *malum praesens* ab aliis amovendum, vel ad *bonum praesens* aliis conciliandum. Ille speciali nomine *misericordiae* designatur; hunc appellamus instinctum *communicationis.* Visis alterius malis, praecipue illis, quae alteri ab alterius perfidia, injustitia, rabie, gaudente & semet exsaturante alienis incommodis malitia, nascun-

ſcuntur, exardeſcit animus, & ſe cum altero, cui male eſt, celeriter confundens, ſentit *conatum* talis mali depellendi, perinde ac ſi eo ipſe urgeretur. Nec demum incaleſcit afflicti precibus, ſed eorum, ut recte animadvertit CICERO, *nos magis miſeret*, qui miſericordiam noſtram nec deſpiciunt, neque *efflagitant*, *quam qui eam requirunt.* Similiter ad communicanda ſua cum aliis gaudia homines natura impelluntur. Hujus agitatoris interni vim ſentiunt infantes, cum ludunt: eodem incitantur adulti in rebus ſeriis & gravioribus. Docere alios, quod neſciunt, conſilium dare imperitis, in viam revocare errantes, vires ſuas, cum primum aliis profuerint, judicare ob hunc earum uſum aeſtimabiliores, & ob factum nobile ſibi ipſi majus pretium ſtatuere, ad haec occulta quadam naturae vi homines trahuntur. Verbo, non demum argumentationum & longinquae meditationis, ſed naturae, vi efficitur: ut *jucundum homini ſit*, *videre felices*, *jucundius facere.*

§. CIV. Cum his ſtimulis natura conjunxit alios ſocietati *oblique* utiles, quibus dum primario & recta via ad ſuum quisque emolumentum fertur, ſimul abſtrahitur a nocendi auſu, & inſcius ad bene de aliis merendum nititur. Huc pertinet *pudor*, *honoris appetitio*, & *placendi ſtudium. Pudor*, qui multorum conatus efficacius, quam comminatio legis, frangere ſolet, eſt fuga doloris, ex aliorum vituperatione orti, aut oriundi, quam quis ſe mereri clare cognoſcit. Fuga *irriſionis*, quae gignit ſtudium cavendi, ne quid indictis factisque inſit atque appareat ridiculi, ſub pudore continetur.

§. CV.

§. CV. Proximus pudori est *appetitus honoris.* Vires unum quemque magni aestimare, & imbecillitatem vilipendere, sensu omnes interno convincuntur. (§. 47.) Hinc fit, ut suas quisque vires non solum magni faciat, & contra ex debilitatis suae conscientia dolorem capiat, sed & ut eas ab aliis agnosci & aestimari cupiat, natura incitante, idque si fiat, magna suavitate, etiam in prima aetate, afficiatur. In complexu actionum, quibus efficere conamur, ut vires nostrae (ingenii, indolis, corporis &c.) ab aliis agnoscantur & pro merito aestimentur, est positum *studium honoris.* Si *pudor* revocat hominem a malo, honoris appetentia, quae comprehendit reverentiam judiciorum alienorum, est impulsus ad facienda, quae societati bona & utilia videntur. Ut laudaris, laudabilia facies.

§. CVI. Denique stimulus, quo ad benevolentiam aliorum sibi asserendam homines impelluntur, dum prodest ei, quem incitat, *oblique societati* consulit. Quam utile est, certum esse de aliorum auxilio, quod a *solo favore* proficiscitur, tam suave est habere, qui etsi nostra causa nihil faciant, vel facere possint, nobis tamen bene cupiunt, veniuntque in aliquam societatem gaudii, quum profluenter & prospere succedunt res nostrae, vel doloris, cum male. Repentinam aegritudini suae voluptatem interponunt calamitosi, cum mala sua referentibus saltem aures alienae patent, & auditoris ac spectatoris vultus, humanitatis index, significat, non indignos videri, quibus meliora eveniant. Cui facile fuerit, a se impetrare, ut congressus hominum plane fugiat, is ferre non poterit invidiam omnium, & in summa

fre-

frequentia solitudinem. Sic natura, quos occulto impetu pellit, ut suae utilitatis causa amari cupiant, inopinantes ducit cogitque, amabiles ut esse studeant.

§. CVII. Harum observationum veritas iis non eliditur, quae vulgo afferuntur ad vetus dictum confirmandum, hominem homini lupum, vel ut ad illam sententiam accommodatius dicam, malum daemonem esse, nisi vi metuque subigatur. Qui sic sentiunt, de foeditate indolis hominum, in societate viventium, dicunt nimium. Cum cogitamus populos barbaros, belluarum feritatem immerito nobis cernere videmur. Esse enim eorum numero, qui feroces putantur, probos, fidos, hospitales, & nisi quibus corruptelae a cultioribus populis accesserint, plerumque benignos, sola effreni ulciscendi cupiditate excepta, recentiores itinerum scriptores confirmant. Decepti decipiunt, & diffidunt, lacessiti in defensione modum excedunt. Multa, quae de populis *Androphagis* commemorantur, finxit pavor, sermonis, sententiarum, & morum ignorantia, mira & horribilia narrandi scabies, & auxit error, ex quibusdam monstris parem totius populi indolem concludentium. *Caraibae* dum hostibus interemtis vescuntur, se, ajunt, neminem, nisi juste caesum, sensu per obitum peremto, comedere, cum *Europaei* injuste hostes caedere saepius leve judicent, non sepelire, aut vorare, horrendum. Cor frigidum & durum, invidia, crudelitas &c. sunt morbi, iique non aeque societati universorum hominum, atque arctioribus societatibus, familiares, alii in majoribus, alii minoribus, coetibus frequentiores. Horum causas propiores & remedia inferius dispiciemus.

§. CVIII.

§. CVIII. Asseruimus, non esse hominem natura ineptum ad societatis cultum. (§. 102.) Quare id inquirendum est, quam viam monstret *experientia*, efficiendi, ut & ejus potiaris fructibus, & incommoda vites vel eleves. Illa docet, duas vias iniri posse & solere, alteram, cum quis se solum respiciens, sibi servire alios, non autem se aliis prodesse, sed nocuisse gaudet, alteram, cum quis cavet cuiquam nocere, prodesse gaudet omnibus. Utra sit *recta*, ex *effectibus* concludit ratio. (§. 38.)

§. CIX. Haud bene est hominibus, qui 1) sibi vivunt, aliosque ut fungos considerant, quibus opus non habent, eos vero, quibus usi sunt, abjiciunt, ut scopas solemus post usum; quive 2) aliis mala studiose inferunt, vel quoniam cupiditatibus suis eos obstare vident, aut obstitisse dolent, vel quia suave est, quietem & voluptates alienas perturbasse. Indigent vel summa calliditate, ut credant decepti, se suam rem agere, cum decipientibus serviunt, vel vi & metu, ne qui possent resistere, ausint, vel qui ausint, possint. Observamus vero, *benignitatem prudentem* eo tutam contendere recta via, quo aut non pervenias contrario vitae genere, aut non sine magno discrimine, labore, taedio, vel mali futuri metu. Calliditas detecta grave odium parit: latens non poenitendam voluptatem gignere nequit. Qui vult ut *se metuant* alii, *metuit* ille *prius* & *magis*. Malitia plena acrimoniae, dum sanguis & animus coacescit, magnam partem veneni sui ipsa bibit. Se ipsum rodit invidus, se punit durus, arrogans, &c. Contra benignitas est perennis fons hilaritatis. Ratio videns hunc nexum naturalem effectuum cum utroque vitae genere, colligit, eum

eum non esse fortuitum, sed divinitus constitutum: & ex eo insuper concludit, ut felicitas singulorum societatis ope crescat, unicam patere viam per mutuam benevolentiam.

§. CX. His praestructis, incrementa felicitatis humanae, ex societate nascentia, ad duo capita revocabimus. Primo loco inquiremus, *quae commoda, quaeve incommoda, societas singulis afferre possit*, & quis sit modus illis potiundi, haec evitandi, diminuendi, aut tollendi. Deinde *Sectione V.* videbimus, quid vicissim facere oporteat *singulos*, in commodum *societatis humanae*, & quousque hujus bona suis etiam detrimentis redimere, sit feliciter vivere. Commoda singulorum, ex societate vel hominum universorum generali, vel multorum peculiari, exorta, sunt *causae verarum voluptatum*, sectione III. enumeratae: quas singuli aut in solitudine, aut citra arctiorem cum aliis conjunctionem, vel non aeque bene, vel omnino non, sibi comparare possunt. Consociatis hominum viribus praeveniuntur, leniuntur, tolluntur, mala corporis & animi, augentur utriusque bona, vita jucundius defluit, & post mortem profutura possidentur.

§. CXI. Horum fructuum alii ultro se quasi carpendos offerunt, simulac homines conjunctim vivunt, licet nihil in rem aliorum ab aliis agatur: alios aliorum benevolentia & opera quasi traditos accipimus. Ad priores referimus fiduciam & suavitatem, quam sola haec cogitatio, non esse te sine hominibus, & posse cum iis esse, si velis, insinuat animo, quaeque infinitum societati prae solitudine pretium conciliat. Accedit utilitas, quam strenua hominum, etiam ignotorum, contem-

platio cuivis afferre poteſt: partim ut ſe ex aliis cognoſcere diſcat, partim ut videns aliorum vitam & inſtituta, ex iis ſibi ſumat exemplum, vel quod caveat, vel quod imitetur. Atque hi eſſe poſſunt fructus egregii *peregrinationum*, ab iis capiendi: quos a frivolis ad contemplanda vere utilia revocat prudentia, atque in his videndis ac colligendis potiſſimum defigit.

§. CXII. Ad poſterius commodorum genus, ad quod capiendum, aliorum ſtudio & factis opus eſt, praecipue pertinent: 1) acceſſus facilis, & jucundum cum aliis conſortium, hoc eſt, cum nulla malevolentiae ſignificatione aut ſuſpicione conjunctum; 2) rerum & operarum venalium, aut commutari ſolitarum, commercium liberum; 3) beneficentia; 4) veri, quod noſtrum vere intereſt ſcire, communicatio; 5) honos; 6) arctior cum quibusdam conjunctio ad finem quendam peculiarem communibus viribus aſſequendum.

§. CXIII. Aditus facilis ad eos, quibus placere, & cum quibus ſermones miſcere cupimus, eſt verum vitae condimentum. Conſortium eſſe *jucundum* (§. 112.) non poteſt, niſi ſit conjunctum cum perſuaſione, aliis nos non videri indignos, quibus ea, quam homini, tanquam homini, natura dedit, aequalitas concedatur: niſi illi quoque, qui viribus ſunt ſuperiores, nec hanc virium ſuarum praeſtantiam cogitare, neque, ut nos illam, dum nobiscum verſantur, cum aliquo acerbitatis ſenſu cogitemus, velle videantur. Fructus hujusmodi conſortii ſunt: ut animus tantisper ponat, ſi quam concepit, aegritudinem: & inſcius

fcius vires intelligentiae novas acquirat; dum audit, & eas, quas habet, notiones verbis explicat.

§. CXIV. *Venufta humanitas* (*urbanitas*) pofita eft in complexu fignorum, quibus declaratur fingularis animi attentio, cavendi, ne aliorum hominum, placeasne iis, an difpliceas, incuriofus videaris. Grata eft omnibus; modo non fit conjuncta cum *affectatione* fingularis meriti, aut magnitudinis cujusdam in minutiis. Auget fiduciam & petendi opem ab aliis, ferenti non moleftam, & eam offerendi. Suavitatem, licet brevem ac transitoriam, veram tamen, impertit. Conjungit animos, quos ferocia, &, quae multis intolerabilior fervitute videtur, *arrogantia*, (five *fuperbia cum aliorum contemtu, vultu, verbis, factisque, fignificata*) arcet, ac divellit.

§. CXV. Communi confenfu definitus in focietatibus peculiaribus complexus *fignorum venuftae humanitatis*, (§ 114.) & modus atque ordo illis utendi, vulgo dicitur *decorum*. Quod a *Cynicis* reprehenfum, merito inventum eft: tum ut oblivioni intervalli, quo variae hominum claffes diftant, *eo*, quo damnofa foret, *tempore* praevertatur: tum ne primi motus animi, qui offenderent, vel imbecillitatem aliquam proderent, fubito appareant: tum ne quid fiat, quod faftidiatur, quodve incuriam aliis placendi aut difplicendi fignificans, facienti, & cum frequentiae tum fuavitati conventuum, fit noxium. Quo major eft morum fimplicitas, & minor ingenii cultus: eo accuratiores folent effe homines in decoro, quod femel conftituerunt, inviolate confervando, & actibus ei contrariis in peffimam partem acci-

piendis. Ita fit, ut id, quod majoris & ſtabilioris conſortiorum jucunditatis cauſa repertum erat, ſaepe degeneret in jugum ſervile, illi aeque adverſum, ac diſſolutus & affectatus decori neglectus. Ut ut ſit mira in hujus legibus ſtatuendis varietas & viciſſitudo: datur tamen diſcrimen *naturale* ejus, quod prudenter conſtitutum eſt, ab eo, quod ſecus ſe habet: adeoque dantur & regulae, quibus *guſtus* in eo dijudicando *corruptus a ſano* internoſcitur. Perfectum eſt, quod fini ſuo reſpondet. Finis eſt perturbationis, taedii, contemtus, odiique ſubiti in conſortiis evitatio. Quamobrem id, cujus cuſtodia minimam habet moleſtiam, & violatio maximam, fini ſuo reſpondet. Demum id, quod huic fini valde & manifeſto repugnat, recte vocatur *ridiculum*. *Decor* eſt promtitudo acquiſita in actionibus corporis (vultu, geſtu, voce, ſermone, inceſſu, veſtitu &c.) leges decori ita ſervandi, ut nulla affectatio aut artis veſtigium appareat. Placet, conjungit animos, adeoque felicitati amplificandae inſervit.

§. CXVI. *Secundus ſocietatis fructus* eſt rerum & operarum, quarum commutatione homines egent, commercium (§. 112.). Cum non omnia ferat omnis tellus, nec ſibi quisque ſoli in bonis externis (§. 63.) comparandis ſufficiat: creſcit ſingulorum felicitas hoc commercio: ut quo alii alios adjuvent, hoc eſt, *id, quod viribus alienis deeſt, ſuppleant.* Si par ſit indigentia mutua, & pares ſint vires, mutua rerum vel operarum commutatione eam ſublevandi: intereſt utriusque, ut non aliter, quam ſub lege paris praeſtationis detur, vel fiat, quod dari & fieri alterius refert.

Sic

Sic nascitur *mercatura* quaedam *utilitatum:* quae est fons *contractuum*, & cujus facilitas societatum specialium, praecipue majorum, pretium auget.

§. CXVII. *Tertia utilitas societatis* est *beneficentia*, (*liberalitas*) *sive studium gratis re & opera difficili alios adjuvandi.* Quod fit, cum quis non sine incommodo & dispendio suo mala vera alterius sublevat, & bona vera amplificat. *Gratis* juvare significat, bene aliis facere absque ulla postulatione, aut expectatione (paris, aut supparis, nedum plus valentis) praestationis mutuae; non quidem plane exclusa spe fore, ut tibi faveat, cui profueris, sed animum non movente, ut alterum juvare decernas. Quanam itaque re mens movebitur? Praeter religionem, suavitate, quam cum tali virium usu natura copulavit.

§. CXVIII. Notio beneficii complicata ut evolvatur: partim ratio habenda est *utilitatis*, quae ex eo redundat in accipientem, partim *finis*, quem qui dat beneficium, sibi habet propositum. Si *effectum* consideres; minus est illud, cujus utilitas percepta statim interit: majus, vel quod *causam plurium effectuum bonorum* alteri conciliat, vel quod *mali causam tollit: nullum*, & potius *male factum*, quo causa mali augetur, aut cujus ipsa suavitas malum novum, idque foecundum, alteri affert. Si *animum* ejus, qui tribuit beneficium, contempleris: nullum est, ut diximus, nisi quod a *sola benignitate* (§. 102.) proficiscitur. Unde non est beneficus, qui secundo commodum affert, ut torqueat vel detrimento afficiat tertium; neque ille, qui mercedem captat, (§. 117.) adeoque tantundem, aut instar foeneratoris plus ab iis, quibus profuit,

recipiendi eſt avidus. Dolor ex eo conceptus, quod is parem aut majorem menſuram non reddiderit, cui utilis fuiſti, tollit *notionem beneficentiae.* Quem ingratis profuiſſe poenitet, is, quam per ſe ſuave ſit, beneficum eſſe, nunquam ſenſit.

§. CXIX. Neque vero quaelibet *benignitas* felicitati generis humani convenit: ſed ea, quae *imprudentiam*, (*defectum perſpicaciae in effectibus actionis proſpiciendis ac ponderandis*) adjunctam habet, recte in imbecillitate ponitur. Talis eſt praeter eam quae vere nocet, (§. 118.) illa, quae benigne agentem viribus, ipſi & in plurium majorem utilitatem neceſſariis, privat. Si malum ſit grave, quod alteri opera aut incommodo tuo demi poteſt; vel bonum magnum, quo is cariturus ſit ſine auxilio tuo; contra jactura, quam facis alterius cauſa, & dolor, quem illa affert, reparabilis, ac comparata cum ipſius commodo levis; locus eſt beneficentiae. Faciles ut ſint homines ad beneficia tribuenda: fac, ut perſuaſum habeant, ſuave ſibi fore, ubi te adjuverint, & te eſſe dignum, qui juveris.

§. CXX. Ex his aeſtimari poteſt magnitudo actuoſae in beneficiis tribuendis benignitatis. Veniunt in eam computationem, prudentia in dignoſcendis & dimetiendis bonis, quae conferuntur, & in perſonis deligendis, quibus tribuuntur; magnitudo virium adhibitarum & jacturae alterius cauſa factae; facilitas rogantem, vel priusquam roget, auxilio egentem ultro adjuvandi; oblivio facti, adeoque firmitas voti, ne is, cui opem tuleris, ex cogitatione de gratiae relatio-

ne,

ne vel levissimum dolorem concipiat. De ratione beneficii constare debet, ut constet gratiae referendae dimensio, de qua insra exponetur.

§. CXXI. *Quartus societatis fructus* est *major facilitas comparandae cognitionis utilis*, (§. 72.) cujus amor cuique est insitus (§. 70.). Sed uti non omnis cognitio est salutaris, quae videtur: ita nec quaecunque ignorantia, neque unusquisque error, ideo felicitati nocent, quod eorum depulsio expetitur. Alia rerum & factorum ignoratio ad feliciter vivendum est necessaria: qua submota ab utiliori cognitione adquirenda vel utenda prohiberemur: cum v. c. nimis multis intentus minor foret ad singula sensus. Alia hoc tempore utilis esse potest, per quam mala actio impeditur: (veluti cum agitur de impedienda, quae surgit, nimis vehementi animi commotione) eadem alio tempore foret noxia. Idem de errore valet. Ex his colligi potest, quousque accusari possint, aliorum felicitati defuisse, qui sensa sua occultant; vel qui simulatione, falsove sermone, aliud agunt aut dicunt, aliud cogitant, & sic errorem gignunt; vel qui hunc non demunt, neque ignorantiae alterius medentur.

§. CXXII. Apertus & candidus est is, qui pollet promptitudine, sensa animi lubenter, vere, & prudenter explicandi, quae scire alterius *vere* interest. Tam alienus a stupida garrulitate, quam a bruta mentis significandae ferocia, & fugit suspiciosam, vel cum affectatione singularis prudentiae conjunctam taciturnitatem; & falsum animum aversatur, hoc est versutiam alios fallentem, praesertim ficta ingenuitate menti alterius expiscandae idcirco insidiantem, ut noceat. Placet prudens

ſimplicitas, non ſolum quia prodeſt, ſed quoniam demonſtrat fiduciam virium, cujus effigies habet aliquid jucundum & aeſtimabile. Magnum & ſimplex ingenium in eundem hominem omnino convenire poteſt.

§. CXXIII. Quintum inter emolumenta ſocietatis locum merito vindicamus *honori*. (§. 105.) Is quidem ut veram voluptatem afferat, 1) *verus* ſit oportet, 2) ne nimis cupide & ardenter expetatur. Diſcrimen *veri & falſi* honoris non opinione, ſed natura, nititur. Naturale eſt, virium, praecipue *moralium*, (*actionibus liberis acquiſitarum*) ſocietati utilium, earumque non omnibus peraeque communium, contemplationem nos ſuavitate afficere, eas majori attentione nos conſiderare, approbare, memoria tenere, earum poſſeſſores ab aliis, qui paria facere non poſſunt, diſcernere, iisve quos pluris, quam alios, facimus, pares judicare. Creſcit haec aeſtimatio pro ratione & virium, quibus aliquem pollere obſervamus, & utilitatis earum, & noſtrae de hac cognitionis, ac paucitatis illorum, qui veniunt in contentionem.

§. CXXIV. Verus honor eſt judicium verum aliorum de magnitudine affectionum, ſive virium, vere aeſtimabilium, quas poſſides. Hujus judicii ſignificatio eſt *honor externus*. Plurium in idem judicium, praeſertim de majoribus alicujus viribus moralibus, conſenſus, appellatur *gloria*. Falſus honos eſt judicium vel erroris plenum de alterius viribus, vel ſimulatum, ut alter ei credens fallatur. Error oriri poteſt vel ex falſa opinione, aliquem poſſidere vires, quas non poſſidet, aut eas eſſe, quam ſunt, ma-

majores; vel ex judicio falſo, id, quod in imbecillitate ponendum erat, viribus accenſente. Talis honos eſt exſors *verae* voluptatis. Qui illo afficitur, nunquam certus eſſe poteſt, haud eventurum, ut in majorem contemtum degeneret. Veri demum honoris amorem natura inſevit. (§. 105.) Ejus ut potiaris dulcedine, via maxime compendiaria eſt haec; qualis videri velis, talem eſſe, eſſe autem bonum & ſocietati utilem. Hujus vitae neminem poenitere poteſt, etſi ſperati honoris fructum non conſequatur: quia quem quis extra ſe fruſtra quaeſiverat voluptatis fontem, eum in ſe ipſo reperit.

§. CXXV. *Sexto* ex ſocietate, quam natura inter homines univerſos conſtituit, majora commoda naſci poſſunt: ſi praeter laxius, quo illa continetur, vinculum, arctior colligatio plurium vel paucorum contrahatur: ut finem ſpecialem, quem ſibi habent propoſitum communem, communibus viribus obtineant. Harum ſocietatum ſpecialium aliae ſunt *temporariae*, aliae *perpetuae:* aliae ſine imperio *aequales*, aliae *inaequales*, utpote cum imperio conjunctae. Inaequalium multa ſunt genera pro diverſo fine, ad quem collineant, vel pro amplitudine aut limitibus imperii, quo reguntur.

§. CXXVI. Ex privatis ſocietatibus *perpetuis* duae praeſertim vitae felicitati adminiculantur, *amicitia* & *conjugium*; utraque dum juvat concordes animos, ſimul prodeſt ſocietati humanae. *Amicitia* eſt gradus ſummus benevolentiae inter duos intercedentis, ex magna propenſionum conſenſione, vel & ſimul ex ſtabiliori uti-

litatum communione, ortus. *Vera* est, qua boni ad felicitatem mutuam communiter fruendam & amplificandam contendunt. Hanc appetere, non est indicium exiguae firmitatis, & minutarum virium, ut sibi persuadent, qui de viribus suis plus sperantes, quam in iis est, adminicula respuunt; quive summum in opibus, in dominatione, in voluptatibus abdominis, bonum ponentes, subtilioris, quam habet caritas, voluptatis sensum amiserunt. Cultus amicitiae est signum ingenii perspicacis, ea jucunde vivendi adjumenta, quae natura parca manu dedit, cognoscentis, justo pretio aestimantis, & amplectentis. Fida, constans, veri & dicendi & audiendi cupida, nunquam suspiciosa, a sordido commodorum, ejus, qui diligitur, commodis oppositorum, studio tam aversa, quam abhorrens a veteri vitae regula, *ama, tanquam aliquando osurus*, ne supremo quidem divisa die, funeri superstes perennat. Nec si citius dissuatur, ejus quemquam, defectione amici dolentem, poenitere potest: qui ipse in caritate constans & firmus, nullius sibi culpae sit conscius.

§. CXXVII. Cum coelibatus paucis conveniat, vaga Venus nulli: natura vim amoris & amicitiae conjungit: ut mas & femina individuam utriusque fortunae societatem contrahere non dubitent; quae *matrimonium* appellatur. Inservit ea tum augendae illorum, qui conjunguntur, felicitati, tum generi humano, tum rationis usui per educationem, propagando: & utroque hoc nomine grata est Deo, ac divinitus instituta dici potest. Non unicus ipsius finis est sobolis procreatio & educatio, sed & mutuum vitae adjumentum. Si utriusque, vel alterutrius, finis assequendi spe probabili nitatur con-

consilium nuptias contrahendi: secundum hanc spem, non autem ex eventu, judicandum est, rectumne id fuerit ac sapiens. Omnis actio ad eum tendens finem, cujus adeptio partim a fortuna pendet, (§. 90.) parit effectum necessarium (§. 39.) animi se ipso contenti, nihilque sibi exprobantis, si in ea suscipienda spes prosperi & cum felicitate conjuncti successus fuit probabilis, & metu eventus haud prosperi major.

§. CXXVIII. Hactenus exposuimus de commodis, quae singulis offert societas. Restat, ut mala recenseamus, quibus se nunquam fore expositum, nemo, qui in societate, etiam civili, vivit, omnino certus esse potest. Haec 1) vel ex *alienis*, vel 2) ex *propriis* ejus, quem premunt, *factis* nascuntur. Priora, in quibus contemplandis primum versabimur, vel a maligno nocendi proposito (*dolo*) proficiscuntur, vel ab imprudentia, (*culpa*) seu defectu attentionis in iis evitandis, quae alteri noxia fore, praevideri poterat. Quaedam sunt hujusmodi, ut nulla vitari potuerint prudentia: cujusmodi tempestates, licet nullum remedium supersit, praeter *patientiam* (§. 88.) & *fortitudinem*, (§. 86.) caeteris societatis commodis compensantur.

§. CXXIX. *Genera malorum*, quae alii aliis importare solent, sunt *duo*. Alterum ex iis aliorum factis oritur, quibus pro arbitrio de alterius inviti *vita & corporis incolumitate*, de *libertate externa*, de *rebus acquisitis*, denique de *eo*, *quod ex pactis debetur*, statuunt. Arbitrariam privationem possessionis, & liberi usus harum quatuor rerum, (quas Icti nomine *sui* comprehendunt)

eo

eo, ad quem illae pertinent, invito peractam, appellamus *laesionem*, seu *vim nefariam*, (latiori significatu) ipsumque malum hac vi illatum dicimus *damnum*. Nolle naturam, ut alter alteri *damna* inferat; apparet cum ex stimulo insito *defensionis*, tum quod communiter ejusejusmodi *actus violentos* detestamur. In primis, quod ad pactorum violationem attinet, intolerans id docet ludibrii animus, & odium adversus illos commune, qui aliorum bonae fidei insultant. Idem recte concluditur ex effectu necessario, plenam talium vellicationum licentiam secuturo, nempe societatis cujusque eversione. Jucundior foret vita segregum solitaria, quam communitas consociatorum: si horum, quae recensuimus, bonorum possessio & usus ab aliena petulantia, malitia, socordia, suspenderentur. Hoc enim modo studium felicitatis, ad quod natura ferimur, redderetur non possibile. Basis igitur omnis societatis est *quies*, (*securitas*) sive status hominum congregatorum, quibus nullus ab aliena vi arbitraria metus probabilis impendet. Ad quem statum tuendum spectat *jurisprudentia*, inferius definienda.

§. CXXX. Quatuor bona, quae enumeravimus, (§. 129.) omnibus aeque cara sunt: iisque excludi, aut in iis pro lubitu utendis impediri, cunctis vehementer acerbum. Nullum ea tuendi efficacius remedium adhiberi potest, quam ut vis sufficiens vi illicitae opponatur. Tum metus perdendi unum ex his bonis, vel omnia, continet violatorem alienae quietis: ut ab incepto desistat, vel a continuatione mali illati, negandaque satisfactione. Complexum actuum violentorum ideo susceptorum, ut damnum avertatur, vel ne illatum,

ne-

negata reparatione, continuetur, dicimus *defensionem per vim.* Hanc non esse contra naturam; apparet ex ejus necessitate: ne societas, homini divinitus commendata, solitudine fiat intolerabilior. Idem patet ex aequalitate hominum; quae non patitur, ut, dum alter viribus suis ad nocendum utitur, alter non utatur ad impediendum, quo minus sibi noceatur. Tandem, quod speciatim ad pacta attinet, id ex eo concludi potest: quod coactioni ejus te subjicis, quicum conventionem facis. Est tamen aliquando *vere* & multo jucundius, abstinere a violenta defensione, quam vi vim repellere. Pone, malum tibi impendens, vel illatum, esse leve, aut tuis viribus facile reparabile, contra malum, quod alteri defendendi causa illaturus eras, valde grave, & vel omnino, vel difficulter, reparabile. *Beneficus* est, (§. 117.) in quo tantum est roboris, ut a defensione, *laedenti* nimis noxia, abstineat: ac prout se habet damnum *impendens* aut *datum*, sui ipsius victoria est *nobilis*, (§. 85.) qui id non propulsat. Hic, dum in se ipso acquiescit, & sensum doloris, ex tali jactura orti, minuit vel tollit, & aliis videtur venerabilis.

§. CXXXI. Praeter hoc primum genus malorum, quae a *vi* (§. 129.) proficiscuntur, datur & aliud; quod *sine ea* nocet vitae jucunditati, ac progressui felicitatis: & nobis venit nomine *incommodorum.* Id vero fit, tum *omissione* ejus, quod alteri vere profuturum erat, tum peractione eorum, quae alteri brevis vel longinqui doloris causam afferunt. Quod postremum dupliciter evenit: vel ut solus agas in alicujus detrimentum; vel ut per alios noceas, illos commovendo, ut ei, cui non faves, *desint* vel *obsint.*

§. CXXXII.

§. CXXXII. Hujus corruptelae *fontes* inquirere, expedit: ut remedia feliciori ſucceſſu reperiantur. Ut *non facias*, quae a te fieri, alterius vere intereſt; ejus rei ſaepe cauſa ſpecialis datur, ad eum, cui non ſubvenitur, reſtricta: veluti cum non amas hominem, interdum ipſe non valens dicere, quare: vel quod ipſius ingenium & indoles cum ideis tibi gratis & familiaribus pugnant; vel quod ejus vultus phantaſiam movet, ut imagines quasdam acerbas, licet obſcuras, ſuggerat, animum ab ipſo alienantes. Cauſa generalis, qua fit, ut non unus & alter negligatur, ſed ut plerique homines gelide abjiciantur, eſt cor *frigidum & durum.* Hoc non eſt conſentaneum naturae: quae potius, ut eſſet tenerum, inſevit benignitatis inſtinctum, & huic complures alios ſtimulos ſubjecit. (§. 102, 103, 104.) Hic callus, haec animi obduratio, ex variis cauſis naſcitur & ſuccreſcit. Nunc educatio molles animos ad alios negligendos ob diverſum vitae genus, natales, inſtitutorum, morum, cognitionis, ſacrorum diſſimilitudinem, flectit. Nunc propenſio dominans eorum, quorum ope haec non eget, incuriam in animum inſinuat: proinde hunc & inolita privati commodi, cum nullo alienae utilitatis reſpectu conjuncti, cupiditas, (*Egoismus* ſive *ſolipſismus moralis*) congelat. Nonnunquam continua afflictationum ſerie, vel & conſuetudine & multos & diu videndi calamitoſos, indureſcit animus, & tanquam ab adſuetis affici deſinit: neque incaleſcit, niſi novo calamitatis genere, aut novo ejus gradu, qui ab adſuetis diſtingui poſſit, excitetur.

§. CXXXIII. *Faciendo* ſibi invicem nocent homines, (praeter *ineptae caritatis effectum*, quem

quem (§. 118.) memoravimus) praecipue, vel nuda, vel efficaci, malevolentiae significatione. Etiam illa per se ingrata est: &, crescentibus metuendi vires alienas causis, majori animum timoris acerbitate perfundit. Malignitas actuosa partim recta via, partim oblique per alios, nocet. *Recta*, vexando; vel cum quis, qui sua virtute valere non potest, alterius imbecillitate valere conatur. Quo fit, ut impediat alios, quo minus majores sibi vires comparent: ut consiliis, largitionibus, adulatione, similibusque momentis alios corrumpat: vel faciat exemplis & illecebris; ut in societatem errorum pravorum ultro veniant. *Oblique* nocet malevolus, dum favorem aliorum erga aliquem refrigerat, vel tollit: eumque adducens in *contemtum* vel *invidiam*, commodis ab aliorum benevolentia proficiscentibus exspoliat.

§. CXXXIV. *Incommoda*, (§. 131.) quibus alii alios afficiunt, perinde ac *damna*, (§. 129.) non omnia oriuntur ab *odio*. Quaedam magis produnt indomitam cupiditatem bonorum, quae alii possident, aut ne possideant, aliquis timet, quam malevolentiam adversus ea possidentes aut adipisci conantes. At cum alter resistit alterius desideriis: cupiditati rerum plerumque accedit odium hominis, isti obsistentis. Quo facto idem velle distrahit animos: eosque si minus mutuae violentiae ardore committit, certe in mutuam fraudem reddit ingeniosos. Quo conjunctior est hominum congregatio: eo non potest non esse frequentior harum cupiditatum conflictus. In agresti vita rarior, in coetibus, praecipue majoribus, crescit pro numero conjuncte habitantium, pro variis vitae generibus, quae ab his deliguntur, quaeque faciunt, ut

ut alii ab aliis pendeant, pro multitudine hominum vel otiosorum, vel eorum, quorum ambitionem potentiae aut dominationis aviditas, aliave rei domesticae ratio, inflammat.

§. CXXXV. Incommodis, quae ab odio nascuntur, plerumque causa subest offensionis cujusdam (sive mali ab altero vere aut opinato illati, sive auxilii negati) manens & vivax cogitatio. Ad hunc locum pertinent *invidia* & *ultionis aestus*. Illa est dolor torquens animum cogitatione boni alieni, quod vel adipisci, vel unum te possidere, frustra concupiscis. Vires animi instar febris lentae consumens, incipit a desperatione aemulantis. Procedens gignit odium primo leve & inefficax, mox gliscens, tandem erumpens in vehementem nocendi impetum. Obtrectator enim imbecillitatis suae conscientia excruciatur, quod viribus, harumque aestimatione, vel aequare, vel superare, eum, quicum se confert, non possit: ac sentit, toties haec vulnera refricari, quoties hunc cogitat. Unde uno hoc remedio dolendi causam tolli posse putat, vel ut is removeatur, vel ut vere, aut opinione hominum, reddatur debilior. Efficacius & naturae accommodatius foret remedium hujus aegritudinis vitandae aut curandae; nosse & metiri vires suas, eas, quantum fieri potest, augere, & nullam in comparatione ponere miseriam.

§. CXXXVI. Naturalis instinctus hominem impellit ad sui defensionem, non autem ad ultionem. *Defendit sese*, qui malum instans, vel continuationem ejus, quod illatum est, avertit. *Ulciscitur*, qui post malum depulsum, vel posteaquam novit, illud reparari non posse, hujus auctori malum conficit, ut hunc pariter dolere gestiat.

In-

Infantes, naturali incitatione incensi, malum verum aut opinatum amovere, ardenter conantur. Eo depulso contenti, ponunt odium. Sed in isto defensionis & ultionis *confinio* ad cupiditatem par pari referendi facile prolabuntur: incitati monitis educatorum, exemplis aequalium, & poenis ipsis, quas sibi aliisque infligi dolent: has enim aliquando esse *defensionis* genus, nondum intelligunt. Neque vero natura vim omnem, *vindictae cupiditati repugnantem*, (§. 51.) statim amittit. Quamdiu malum sentiunt, grata ipsis est ultio, eamque cum *defensione* confundunt. Pro ratione autem, qua dolor ex malo ab aliis illato decrescit, ejusque effectus tolluntur, obscuratur cogitatio auctoris, a quo is profectus est, odium languere incipit, & tandem cum sensu mali evanescit.

§. CXXXVII. Invisi quidem vulgo sunt malefici, & poscitur adversus eos vindicta, quamdiu in iis aliquid quasi hostile & communiter noxium cogitatur. At simulac vultus poenitentiam, & exutum animo in posterum male agendi consilium, indicat, ac vincula virium nocendi inopiam demonstrant: tacita plebis quoque commiseratio reos sordidatos prosequitur. Malitiae imagine ac metu omni submoto, extinguitur odium adversus nocentes.

Pulcher censetur animus, qui cum ulcisci posset, suo confidens robore ignoscit; odiosus & impotens, qui aeternas iras fovet ac coquit.

Undenam itaque *vindictae morbus?* Multum in eo gignendo valet *indoles*, (§. 79.) *sexus*, in primis *educatio* tum privata, tum publica, nitens praejudicatis, iisque inveteratis, populorum opinionibus. Exempla praebent sententiae gentium *Borealium* de *inimicitiis hereditariis*, & Judaeorum

in hoc genere errores, a Servatore & Apostolis eversi.

§. CXXXVIII. Brevis vero est voluptas, quae ex ultione percipitur & falsa. Nihil enim, postquam percepta est, boni importat, multum contra mali. Pro uno vulnere duo infert. Excitat aliorum in eum, qui sibi ab ea impotentia temperare non potuit, odia. Alias ex aliis inimicitias, & cum his calamitates, serit: adeoque dissuit commune vinculum, quo homines ad se mutuo juvandos continentur.

Hujus morbi vitandi aut sanandi remedium est: offensiones, quas tolerat mens *nobilis*, (§. 130.) aut detrimentum, quod reparari nequit, reputare ut tempestatem; avertere cogitationem ab auctore mali; & sensum mali acerbum, tum aliorum bonorum comparatione, tum iis, quae *patientiae* (§. 88.) propria sunt, subsidiis extinguere. Mens *generosa* appellatur, quae hoc est robore praedita, ut nullam sentiat, vel subortam facile contundat, vindictae cupiditatem. *Talis mens* est *plena hilaritatis.*

§. CXXXIX. Rarior ultionis aestu est *crudelitas*: quae a sola malignitate, nullatenus provocata, proficiscitur. Orta a levitate & petulantia in prima aetate, nutrita rixis, iisque omnibus, quae efficiunt, ut cor lapidescat, (§. 132.) corroborata actuum malitiosorum & sanguinolentorum serie diu multumque visa, lecta, audita, gliscit; ac Zelotypia, vindicta, *timiditate*, in rabiem belluina atrociorem aliquando formatur. Cujusmodi exemplorum plena est bellorum, in primis civilium, historia.

Qui cum aliis agit crudeliter, caret summa suavitate benignitatis. Quanto longius ab omni huma-

humanitate descifcit: tanto vehementius in se ipsum saevit. (§. 109.)

§. CXL. Uti adversus *damna* (§. 129.) *defensio*, (§. 130.) ita adversus *incommoda*, (§. 131.) vel effugienda vel lenienda, praesidium *generatim* praebet diligens eorum, quae offensionem gignere possent, evitatio; mitis, placabilis, & simul fortis animus: qui tam firmus in rectis propositis, quam a prava obstinatione alienus, *pudore* (§. 104.) & *beneficiis* (§. 117.) frangat aliorum sibi nocendi consilium, & nunquam ad eam descendat imbecillitatem, ut malum malo rependat. (§. 138.)

§. CXLI. Superest (§. 128.) ultima pars *incommodorum* cum societate conjunctorum: quae sua magis, quam aliena, & plerumque sua solius culpa, sibi quisque conscifcit. Haec ex duplici vitae instituto nascuntur: altero, cum quis metuens, ne ab aliis vitae suae prosperitas, & actionum suarum ratio, nimis pendeant, ad alienam voluntatem omnino se accommodare renuit: altero, cum quis humiliter inserviendo aliis, ultro coecus ab itinere felicitatis deflectit: (*cum quis nimis se reddit independentem aut dependentem.*)

§. CXLII. Dum arcto mutuae indigentiae vinculo natura devinxit homines; voluit, ut alii de aliis pendeant: sed ingenerato *efficacitatis* (§. 62.) ac *libertatis* stimulo simul id egit, ne nimis. Vidimus, (§. 50.) *libertas* quid significet psychologis, cum versantur in ordine explicando, quo anima se accingit ad deliberandum, (vi rationis adhibita) deliberat, decernit, ac decreta exequitur. Alius illi vocabulo significatus subjicitur

in vita communi, cum liber esse negatur, qui vel ab aliis cogatur agere, quod nolit, vel qui ultro, vervecum instar, imitetur & sequatur alios, metuens sine causa, ne si id non faciat, sibi ipsi desit. Ex quo efficitur duplex libertatis definitio. Primo significat *facultatem hominis pro lubitu actiones suas in societate ordinandi, absque sensu aut metu coactus ad id agendum, quod aliis placet: (independentia rectionis actionum externarum a praescriptis alienis*, hoc est, *regulis invito obtrusis.*) Secundo denotat genus quoddam *libertatis moralis:* (§. 84.) scilicet, *robur animi a stolida imitatione, & coeco obsequio, sibi caventis.*

§. CXLIII. Ejus, quam priori loco (§. 142.) definivimus, libertatis studium natura cuique insevit. Sentiunt illud produntque infantes pariter atque adulti. Illi monitoribus asperi, segnesque ad jussos labores, blande explicata prohibitionis ratione, alacriter faciunt imperata; quasi nunc non pareant jubentibus, sed sibi. Adulti servitio adsueti quique fremunt, cum superbiam jubentis, imbecillitatem suam, & vanam sine viribus iram, cogitant; imperiosis vero eorum, quos non metuunt, vocibus magna vi reclamant.

Insignis est hujus instinctus utilitas; si regatur rationis imperio. Erigit animos, ut sibi non evilescant ipsis, iisque indignentur, qui sibi videntur altiores, quam ut aliquod naturae humanae pretium statuant. Inflammat homines, ut sapere ausint; ut vires acquirere, suoque niti robore, quam vim, ab aliena vi pendentem ac precariam, habere malint; alacres, solertes, cordatos, fortes, praestat.

§. CXLIV.

§. CXLIV. Ratio hunc ſtimulum regat, oportet. (§ 50.) Haec comparans effectus *obſequii* & *facilitatis* cum iis, qui ex vita hominis, ſuo duntaxat arbitratu viventis, & nunquam ad aliorum exempla aut voluntatem ſe accommodantis, naſcuntur, concludit: 1.) plenam libertatem non ſemper cum felicitate eſſe connexam; 2.) obſequium, facilitatem, imitationem, non ſemper pugnare cum *vera libertatis notione;* potius 3.) poſſe fieri, ut magna libertate glorieris, cum humillime ſervis. Quod ad *primum* attinet; *non omnis* ſenſus aut metus coactus, dum libertatem minuit, nocet felicitati; ſeu ille ſit poſitus in ademtione virium phyſicarum, alienae voluntati reſiſtendi, ſive in optione propoſita inter duo mala, alterum gravius, ſi non facias, quod alter vult fieri, alterum levius, ſi ex aliena voluntate agas. Hujusmodi coactus, felicitati non repugnans, proficiſcitur vel 1) a poteſtate, quam natura parentibus aut educatoribus dedit, vel 2) ab ea, in quam conſentire potuimus & conſenſimus, vel 3) a legitima defenſione, in cujus neceſſitatem alterum conjecimus. (§. 130.)

Grata, inquis, *eſt libertas plena.* Recte. Sed uti ſtimulos univerſos, ita & hunc libertatis impulſum, natura *felicitatis ſtudio* ſubjecit. Ex hoc judicandum eſt, quousque ſuum ſequi arbitrium, & alieno ſe non applicare, vel obſtrepere, ſit ſapienter agere.

§. CXLV. Quod ad *ſecundum* (§. 144.) attinet, nihil detrahitur de libertate: ſi quod bonum eſt in ſententiis & actibus alienis, id, quia bonum eſſe intelligis, approbes, imiteris, amplectaris. (§. 142.) Falſam itaque libertatis notionem ſibi fingunt, qui ne leges ab aliis accepiſſe videantur, malunt palpare in tenebris, quam Lynceos ſe-

 quendo

quendo, nusquam offendere. Pervicacia, quae ex hoc errore nasci solet, & morositas in consiliis suis mordicus tuendis, atque contra alios dicendi & nitendi aestus, hunc fructum ferre consueverunt: ut rixis *quies* & *bona consilia* intereant, societates peculiares dissolvantur, factiones nascantur, regna & populi evertantur.

§. CXLVI. Multa concurrunt, ut hic, qui in *libertatis notione* versatur, error oriatur, adolescat, & omnis fere medicamenti vim superet. Praeter *nativam indolem*, (§. 79.) & *educationem*, causae peculiares sunt falsa de *honore* (§. 124.) opinio, quae *prudens obsequium* & quamcumque *facilitatem* cum vili *humilitate* confundit; *superbia* suis temere praefidens viribus, (§. 97.) *livor*, (§. 135.) seu ut TACITUS ait, *ignorantia recti & invidia*; ambitiosa dominationis acquirendae aut tuendae cupiditas. His causis efficitur; ut libertas vocetur, nunquam cedere aliis, servitus, non dominari.

§. CXLVII. Ab altera parte minus, qnam sibi videntur, sunt liberi: (§. 145. n. 3.) qui ultro, nullaque gravi de causa, magno damno suo, se aliis reddunt obnoxios. Quales sunt; qui nunquam secum habitare adsueti, verentur, cum soli sunt, ne sui taedio enecentur: qui *unicum* felicitatis suae praesidium, in fragili aliorum fortuna & favore ponunt: qui sententias, dicta, facta, vultum, ad alienum arbitrium & exemplum, spe cujuscunque boni, aut mali, etiam levioris, metu, serviliter fingunt: denique, qui cum suae spontis esse possent, id vitae genus deligunt, in quo magnam aut maximam actionum suarum partem ab alieno arbitratu, etiam inepto & pravo, suspensam habent.

§. CXLVIII.

§. CXLVIII. Praeterquam quod dentur homines, quos *natura servos* vocat ARISTOTELES: praeter educationis vim in formandis hominum sententiis ac propensionibus; indignationis alienae, exclusionis ab aditu & consortio, vexationum, damnorum metus, vehemens voluptatum, & avara opum, cupiditas, indigentia, sunt incitamenta hujusmodi depressae conditionis (*dependentiae*) subeundae. Haec cum adsuefactione adolevit; desinit in pigritiam, jugo suo gloriantem. Neque inter causas effectrices omittenda est honoris & imperii ambitio. Uni aut paucis se mancipio dat ambitiosus, ut sexcentis aliis dominetur. DIOGENES captus rogabat, ei ut venderetur domino, qui *domino egeret*.

§. CXLIX. Late patet haec voluntaria libertatis abdicatio. Quid verum, quid decens, quid jucundum, bonumque, non ex se ipso, sed ex dominante, vel plurimorum, vel eorum, qui plurimum habent auctoritatis, opinione saepe aestimatur. Duo potissimum exempla hic commemorari merentur: alterum existimationis tuendae, cujus regulae inter Europaeos *puncti honoris* nomine veniunt, alterum *luxus necessarii*. Quod ad *primum* attinet; a Scythicis moribus orta, illo, quod medium vocant, aevo, translata ad praesens tempus opinio de eo, quod vel laedat honorem, vel tuendae existimationis causa faciendum sit, tantam vim habet, ut aliquando vincat rationem ac legem, ipsumque legislatorem saepe cogat, exigere & laudare, quod fieri vetat.

§. CL. *Luxus* apud latinos *depravationem morum, cum immoderata pecuniae profusione conjunctam*, denotat.

Mitiorem ſignificatum illi vocabulo *vulgaris loquendi uſus* ſubjicit. Secundum hunc eſt *ſtudium multiplicandi aut variandi res ſumtuoſas, ſenſuum voluptatibus per ſe non malis inſervientes*. Luxus *hoc ſignificatu* num omnis nocet? Si noceret, id vitium vel in *natura* omnis voluptatis ſenſuum reſideret, quod (§. 67.) confutavimus, vel in earum variatione, quae vero per ſe nihil mali habet, vel in ſumtibus, quibus comparantur. At vero magnis impendiis non ſemper effunditur patrimonium: potius iis aluntur & nonnunquam locupletantur, qui opera ſua quaeſtum facere, quam aliena deſides ſtipe nutriri, malint. Reſtat itaque, ut corruptela, quae in luxu ineſſe dicitur, reperiatur in ſtudio ipſo, varietatem voluptatum quolibet pretio redimendi. Id ſtudium poteſt eſſe ardentius, & ultra modum ſumtuoſum ac continuum. Quo fiet, ut vigorem animi & corporis, opes, tempus negotiis dandum, egenos ſublevandi facultates, & ſui ipſius imperium, (§. 85.) peſſumdet.

§. CLI. Luxus, *naturalem imitandi inſtinctum* irritans, pracipue *exemplo* nocere poteſt, eſtque non ſolum luxurioſis, ſed & univerſis ſocietatibus exitioſus, qui coepit eſſe *neceſſarius*. *Neceſſarium* vocamus, quem qui repudiant, contemtum, & cum hoc varia vexationum genera, provocant. Quos non faſcinant voluptatum illecebrae, eorum conſtantiam ſaepe frangit contemtus. Ita fit, ut luxus etiam illis, quibus non arridet, videatur neceſſarius. Hac neceſſitate invecta, inoleſcit mos publicus, indigentiae terminos non naturae, ſed opinioni hominum mutabili, convenienter extendendi in infinitum. (§. 65.) Ingruit avaritiae cujusdam neceſſariae labes: quoniam multa poſſidendi neceſſitas non relinquit locum

con-

continentiae modica desideranti. *Corrumpere & corrumpi*, ut ait Tacitus, *saeculum* vocatur. Sensim domos invadit vera egestas; cum re deficit animus; mollitudine enervatur; virtus alget; venalia fieri incipiunt omnia; perit libertas; oritur dominatus.

§. CLII. Cum igitur se alicui sine exceptione semper adjungere aeque sit noxium, (§. 147. seqq.) ac nunquam: (§. 145.) de finibus regundis *facilitatis probae & malae*, hoc est, *quae regulis felicitatis convenit aut repugnat*, merito quaeritur. Bona imitari, & in iis efficiendis lubenter obsequi, est felicitati suae convenienter agere. (§. 145.) Si vero noxia sunt aliorum consilia: conferendum est malum physicum, quod oritur ex obsequio & accommodatione ad exempla ac praejudicatas aliorum opiniones, cum eo, quod oritur ex contumacia hominis, tramiti suo rigide insistentis. Inter duo mala levius eligere, est sapientis.

§. CLIII. Si agatur de malo gravi aliis inferendo: (quale est in primis, quod *laesionem* continet) non cedere prava volentibus, est *constantis & fortis* viri. Mala vero, quae cum non impediuntur obluctando, societatis vinculum non rumpunt, aut *non huic*, sed nobis, nocent, quaeque cito transeunt, vel facile reparari possunt, levia, inquam, mala tolerare, & consilia, ex quibus ea gignuntur; est hominis *perspicacis & cordati*. Novit enim, in parvis cedendo emolliri animos, ut in posterum in magnis rationi auscultent. Sic tranquilla peragit potestas, quod violenta nequit.

SECTIO V.

Quantum interſit hominis, homini prodeſſe.

§. CLIV. Hactenus expoſuimus de homine, ſocietatem conſiderante inſtar horti, flores, neque eos ſine ſpinis, offerentis, illos ut carpat, ab his ut ſibi caveat. Reſtat, ut ſtudium hominis perſequamur, viribus ſuis contendentis augere bona ſocietatis, & mala ſublevare. Tribus momentis ad haec efficienda impelli poteſt. *Primo*, ut habeat miniſtros emolumentorum, quibus potiri cupit. (§. 109. & 116.) Idcirco non gaudet viribus alienis, niſi quatenus & quamdiu iis indiget. Id gaudium ſi *amor* dicatur: non alio, quam *mercenarii amoris*, nomine appellari poteſt.

§. CLV. *Momentum ſecundum* oritur ex *amore puro*, hoc eſt, *ſtudio gaudii fruendi*, *ex boni alieni contemplatione & amplificatione*, *absque ullo cujuscunque emolumenti*, *praeter id gaudium*, *reſpectu.* Hic amor non omnem felicitatis propriae reſpectum excludit, aut excludere poteſt. (§. 12.) Hoc qui exigunt; re vera poſtulant, ut *natura entis intelligentis* immutetur.

Tertium momentum habet aliquid *ex utroque amore mixtum*; cum ſuavitati, quam per ſe affert bonorum alienorum conſpectus, accedit magna ſpes commodi, ex iisdem in nos redundaturi. Hoc *amore mixto* efficitur, ut dum aliquas alteri vires acceſſiſſe gaudemus, *nos* reſpiciamus, & *fructus* ex *aliena meſſe* capiendos cogitemus.

§. CLVI.

§. CLVI. Educatione, assiduitate imitandi, & sic assuefactione, fieri potest: ut vel nullo, vel amore *duntaxat mercenario*, imbuatur animus, sibi vivens, & nunquam aliis. Dignior homine, & verae voluptatis feracior, est *amor purus*. Is exsuscitat animum; ut suum amabilitati & merito cujusque pretium statuat: ac de iis bene mereri gestiat; a quibus nihil emolumenti aut desiderat, aut sperat. Hunc amorem nullus dolor consequi potest ob spes fallaces; quia nullas de remuneratione concepit. Sola cogitatio, hoc amore hominem Deo similiorem fieri, quantum habet suavitatis!

§. CLVII. Interest hominis, ne *adversarios* quidem *improbos* a sincera caritate sua excipere. Natura, quae *vindictam* punit, (§. 138.) simul nos avocat ab odio mutuo. Sicuti acrimonia humorum nocet corpori: ita odii cujusvis amarulentia animo. (§. 109.) Nullus, si id lateat, ex eo fructus percipitur, nisi ut nos ultro torqueamus: sin erumpat; hoc habemus: ut is, qui nos laesit, efficacius nos odisse incipiat, & sibi in posterum nos non aggredi, sed se defendere, videatur. Amare inimicum, est pretium *affectionum aestimabilium*, quibus pollet, agnoscere, & dum *effectibus* odii, quo nos prosequitur, *necessaria defensione* resistimus, ejus *causam* simul tollere conari. Tolli potest benignitate, quamcumque occasionem ipsi inserviendi arripiente, absque superba affectatione magnitudinis cujusdam, ipsum irritante, absque jactantia, aut amarore. Sit difficile, (est autem alii indoli nativae (§. 79.) difficilius, quam alii) *offensionum oblivisci*; praestari tamen potest. Uti datur ars *memoriae*, ita & *obliuionis*. Concludimus; eum ignorare commoda inimicitiae, ac non amare

amare suam ipsius tranquilitatem, qui inimicum odit.

§. CLVIII. Quaenam vero sint genera commodorum, quae aliis afferre, quaeve malorum, a quibus inferendis abstinere felicitatis nostrae intersit; facile intelligitur. Eadem est natura hominum. Idem omnibus felicitatis desiderium: hujus obtinendae eaedem omnibus regulae. (§. 29.) His fundamentis nititur veritas horum enunciatorum: *quae tibi non vis fieri, quia felicitatem tuam vere impediunt, alteri ne feceris*: (§. 129. seqq.) & *quae tibi ab aliis vis fieri, tanquam tibi vere utilia,* (§. 112. seqq.) *ea fac alteri.*

§. CLIX. Omnis itaque abdicatio voluptatis verae, quae a nobis percepta cito transiret, aliis vero graviorem dolendi causam praeberet, efficitur causa majoris voluptatis nostrae: simulatque cogitamus, illi ipsi abdicationi debere alios, quod minus doleant. Omnis virium nostrarum contentio in eo adhibita, ut aliis vere gaudendi materiam suppeditemus, est incrementum nostrae felicitatis. Ex quo sequitur; 1) eum, qui se vere amet, (§. 69.) abstinere quoque ab iis, quae cum sibi negaverit, parum doleat, sed quae infirmis *offensionem* praebitura, quaeque, ipsorum cupiditates, invidiam, verbo impotentiam, irritando, haud levi ipsis detrimento fore praevidet: 2) vires suas augere, aliis ut esse possit utilior: 3) harum usu nocere nemini, sed ita prodesse omnibus, ut se non sibi, sed toti generi humano, natum existimet. Egregie SOCRATES, cum rogaretur, *cujas esset? mundanum se esse*, respondit.

§. CLX.

§. CLX. *Instinctus benevolentiae* (§. 102.) nos ad eos, quos novimus, & quorum bonis nostra opera acquisitis veluti interesse possumus, complectendos ducit; quia omnes *naturae impulsus* ad praesens tendunt. (§. 52.) Sed ratio effectuum etiam remotiorum, ex actionibus nostris resultantium, seriem perspiciens, docet nos, iis quoque prodesse, qui quales sint, ignoramus. Nam aucto verarum voluptatum numero & pondere, augetur felicitas. (§. 14.) Actio igitur nostra eo est conjunctior cum felicitate nostra: quo majorum, veriorum, stabiliorum, voluptatum causas, quoque pluribus eas hominibus sive notis, sive ignotis, impertit: quoque major est eorum numerus, ad quos eadem bona per eos, quibus illa impertivimus, propagantur.

§. CLXI. Ex quo colligimus; 1) curam posteritatis cum felicitate nostra naturaliter esse connexam. Pluris valet hoc momentum ex voluptate nascens, qua mens, de posteris bene meruisse sibi conscia, afficitur, quam *desiderium gloriae immortalis.* Haec, teste nocte tot heroibus obducta, qui ceciderunt illacrumabiles, inter eventus bonarum actionum fortuitos plerumque referri debet. (§. 43.) Sed serere arbores, ex quibus demum posteri fructus carpant, ignari, cujus eos providentiae acceptos referant; semper est res plena oblectationis, cum in hac vita, tum post mortem: seu post hanc aliqua homini contingat mortalium, a quibus discessit, notitia, seu omnis negetur. Anima status pristini sibi conscia, praemium facti, generi humano diu utilis, in jucunda recordatione reperiet.

§. CLXII.

§. CLXII. Eidem principio (§. 160.) consequens est conclusio *secunda: educationem* eorum, qui propter aetatem se ipsos regere non possunt, esse effectum animi benigni, tam iis, qnibus consulitur, quam educatori ipsi, salutarem. *Educatio* est continuata animi attentio in eo elaborandi, ut soboles infirma, corporis & animi viribus aucta, suas ipsa actiones regulis felicitatis convenienter regere discat. Cum, qui bene educati sunt, eas collegerint vires, sibi & aliis ut consulere possint: tanto major per educationem fit accessio ad felicitatem educatoris: quanto felicior est ille, cui formando fidam navasti operam: quantoque sunt illi numerosiores, qui deinceps ab eo, quem educasti, felicitatis suae vel primordia, vel firmamenta, vel augmenta, repetunt. Ad hoc difficile opus suscipiendum excitat parentes *impulsus naturae.* Eosdem confirmat in proposito, & alios ut idem faciant, ducit ratio, seriem malorum perspiciens, si negligatur educatio, & bonorum, si recte administretur.

§. CLXIII. 3) Ex asserto superiori (§. 160.) concludimus vetus illud, *dulce est imperare*, recte dici; si haec dulcedo ponatur in studio continuo utendi viribus, ut illi, qui reguntur, feliciores praestentur, & se ipsos praestent. In eo enim elaborare, est *regere.* Si fortuna hominibus nihil potest praestare majus, quam vires bene faciendi plurimis: infortunatissimi merito judicantur; quibus ad imperium natis aut evectis sunt vires summae, ut prodesse possint, sed mens tam laeva, ut nolint.

§. CLXIV.

§. CLXIV. 4) Ex dictis nostris (§. 160.) efficitur: si inter plures, qui ope nostra indigent, aliquis sit deligendus, quia non sufficimus juvandis omnibus, non esse eum anteponendum, qui nobis plurimum eget, nec cui nos qualicunque de causa maxime favemus, sed illum, per quem, nostra adjutum re aut opera, effici potest, ut plurimorum commoda augeamus. Nihilne igitur dabitur favori, nihil amicitiae, nihil grato animo? Tantum, quantum dari potest nostro, non communi aliorum, dispendio.

§. CLXV. Neque vero *aequale* erga omnes studium exigitur. Ferventiori amore *amicos*, (§. 126.) propinquos, eosque merito prosequimur, a quibus *beneficia* accepimus, (§. 120.) atque ipsos, caetera si sint paria, (§. 164.) recte prae aliis, *tanquam nobio notiores*, vel *utiliores*, juvamus, & complectimur.

Grata mens est studium beneficia aliena agnoscendi, aestimandi, & perpetuo favore (hoc est, perpetua animi contentione, ad gratum aliquid & utile alteri praestandum) remunerandi; *perpetuo* inquam *favore*, quia qui accepta grate interpretatur, non nimis exigue & exiliter ad calculos *remunerandi modum* revocat. Admodum suave est, gratum esse; invidiosum, non fuisse. Igitur gratiae habendae ac referendae studium est cum felicitate connexum. Stupiditas, superbia, falsa *honoris* & *libertatis* notio, possunt efficere: ut beneficia vera, vel parum aestimentur, vel nulla gratiae relatione, aut prorsus malefactis, compensentur.

§. CLXVI. Interest igitur hominis, aeque *amare* alios, ac *semet* ipsum. (§. 128.) Num aliquando

do plus alios, quam se diligere debeat; disquiri meretur.

Ea est singulorum erga societatem, & hujus erga illos, *naturalis* relatio: ut ex vero asseratur: 1) nihil esse utile universis, quod vere sit noxium singulis: 2) nihil vere prodesse singulis, quod noceat universis.

§. CLXVII. Haec si pro veris sumantur, qui fit, inquis, ut salus societatis aliquando exigat, res suas, libertatem, incolumitatem, vitam, & quicquid praeterea haud libenter dimittunt, abdicare singulos pro compluribus?

Si mala graviora, si mors ipsa, quae pro aliis juvandis, ac defendendis oppetitur, felicitatem eorum, qui id faciunt, destrueret: fieri non posset, ut ille, cui sana mens est, ejusmodi mala subiret. Is enim, qui existere cupit, felicitatis desiderium exuere nequit. (§. 11.) Verum voluntaria quorundam malorum susceptio intendit gradum felicitatis: nempe ea, ex qua oritur consecutio *verae voluptatis majoris.* Quaestio itaque, quousque mala aliena sint avertenda aut sublevanda nostris? redit ad hanc: quousque ex malis aliorum causa ultro susceptis, etiam acerbioribus, (veluti libertatis & vitae privatione) nasci & sperari possit felicitatis nostrae incrementum?

§. CLXVIII. Tale incrementum obtineri potest: cum *defensio aliorum* sub necessaria *sui ipsius defensione* (§. 130.) continetur: vel cum detrimentum nostrum est leve, si comparetur cum utilitate, quae ex eo in societatem humanam redundat. (§. 160.) Promtitudo nostra ad jacturam eorum, quae

quae aegre dimittimus, bonorum pro aliis faciendam, parit fiduciam, idem caeteros nostra causa facturos. Sint, qui *Orestem*, non deerunt, qui *Pyladem* referant. Haec fiducia mutua efficit, ut transigamus serenos sine atra nube dies. Praeterea dolor, quem mala pro alio suscepta afferunt, vel cum suavitate, quam ad id usque tempus ex societate hausimus, conferri non meretur, dum cito transit, vel gaudii, quod ex amplificato alterius bono capimus, magnitudine vincitur. Ne tum quidem, cum malum aliorum causa subimus grave & diuturnum, sua facto nobili deest gratia, & suavitas: sed ipsum illud malum intendit gradum voluptatis, quam facti, ex quo illud manavit, contemplatio parit (§. 117.)

§. CLXIX. At vero, inquis, si mors pro salute societatis oppetatur: quis inde fructus redit ad mortuum? Verus, magnus, & stabilis. *Dulce est pro patria*, dulce *pro amico*, *mori*: si amici incolumitas cum salute publica conjunctior est, quam vitae nostrae prorogatio. Mors enim non abrumpit filum felicitatis humanae; sed novam ejus periodum aperit. (§. 17.) Anima corpori superstes, non dolebit aliquot verarum voluptatum, quas ex diutiori conjunctione cum corpore suo capere potuerat, privatione: sed gaudebit, cum sibi erit conscia, se multorum hominum, multarum propaginum, salutem celeriori prioris vitae suae decursu redemisse. Haec spes, haec quasi anticipatio gaudii futuri, quam imago actionis multis diu utilis parit, inflammare potest nobiles animos: ut CODRUM, LEONIDAM, & illustres heroïcis aetatibus viros, imitati, contemnant mortem, quae societati prodest.

SECTIO VI.

Naturale Religionis & Felicitatis humanae connubium.

§. CLXX. Quemadmodum homo cum in se solo, (§. 56.) tum in conjunctione cum aliis hominibus, (§. 98.) quaerat fontem felicitatis suae, explicavimus. Nihilne ad bene beateque vivendum amplius exigitur? Tota rerum natura, quatenus eam pervestigare homini contingit, ad incrementa felicitatis humanae consentire videtur. Taceo; quanta cum largitate terra, foeta frugibus, varia & homini praecipue jucunda gignat: & *v. c.* vere novo quanta copia Flora dives, & quanta suavitate oscines, dum suum quaeque canunt nativum melos, novas spes, novas gaudendi causas, annuntient: taceo bona, quae mare universum, pecudes, & interiora terrae viscera, hominibus liberaliter offerunt. Mens intenta in partes, quibus haec tanta rerum universitas componitur, in ordinem, quo illae continentur, in leges, quibus reguntur, in harmoniam, qua tot discreti, & tamen conjuncti, orbes concinunt, erigit sese spectando; pascitur admirabili spectaculo; peplumque naturae utcunque retexens, insigni dulcedine persunditur. Ita fit, ut amplificanda rerum naturalium cognitione, suae quisque intendat magnitudinem felicitatis.

§. CLXXI. Leve est id felicitatis incrementum, (§. 170.) si comparetur cum eo; quod animus, a

a contemplatione mundi ad cognitionem Dei adscendens, capit. Eſt Deus, isque unus, ſuapte vi aeternus, adeoque a mundo diverſus. Hujus voluntate factum eſt; ut haec *ſeries rerum finitarum, quae ſeu ſimul exiſtant, ſeu ſibi ſuccedant, invicem connectuntur*, eſſe coeperit, & eadem iisdem ſemper legibus conſervetur. Cognitione, & ea quidem viva, *naturae divinae*, ſive *attributorum Dei*, quemadmodum felicitas humana ad ſummum faſtigium evehatur; noſtrum eſt, hoc loco inquirere.

§. CLXXII. *Deus eſt ſumme potens.* Nam cum habeat vires illis, quas *mundo* contulit, *viribus finitis* ſuperiores; & extra Deum nihil ſit, quod ipſius viribus limites ponere poſſit: infinitarum copia virium polleat, neceſſe eſt. *Imbecillitas* quaeque cum ſit *defectus* virium, a notione Dei eam eſſe alienam, manifeſto patet. Mens infinitam virium copiam, absque ullius imbecillitatis interventu, cogitans, ſummam attonita *admirationem* concipit, & in ſuo quaſi fundo ſentit oriri, & incaleſcere *ſummam venerationem*, (§. 47.) quae vulgo dicitur *adoratio*, plenam fiduciae ac ſuavitatis, & *a ſervili trepidatione* longe alienam. Haec enim non ſolum *bonitati divinae*, (§. 178.) ſed & *ſummae potentiae*, nihil metuenti, adeoque *ſervili* eorum, quos condidit, *pavore* haud indigenti, repugnat.

§. CLXXIII. *Potentiſſimus eſt Deus, ergo beatiſſimus.* Nam cum polleat *infinitis viribus*: (§. 172.) has quoque habet, quibus ſibi ea, quae placent, omnia praeſtare, adeoque fontem puriſſimi gaudii perennem recludere poteſt. Nulla igitur pars mundi, ne-

is universus, beatissimae Dei naturae aliquid addere aut demere potest. Ex quo apparet, Deo, cum mundum conderet, non potuisse propositum esse, ut per eum fieret beatior. Novum ex hoc asserto nascitur momentum adorationis. (§.172.)

§. CLXXIV. *Deus cum sit beatissimus, necessario* est *sapientissimus.* Sapientia est scientia nexus finium, & remediorum, cum felicitate; seu, ut breviter definit LEIBNITIUS, est *scientia felicitatis.* Si Deus non esset summe sapiens, non posset non oriri dissensus inter decreta ipsius, & inter haec atque effectus, quos pariunt. Hanc consiliorum suorum pugnam necessario videret Deus: quia intelligentiam habet infinitam. Illa repugnantiae cognitio non posset non ipsum afficere taedio: sola enim harmonia enti intelligenti placet, ac jucunditatem affert. Hujusmodi taedia pugnant cum beatissima natura. Deus itaque est summe sapiens: quia est summe beatus.

§. CLXXV. Mundus est opus Dei: (§. 171.) adeoque dignum summa sapientia. (§. 174.) Non potest itaque vel is universus, vel ulla ipsius pars, aliquid habere fortuiti, fati necessitate regi, fatalesue habere periodos. Aeternum vidit Deus seriem ac veluti conjugationem effectuum omnium, qui hoc mundo condito non possint non alii ex aliis nasci: vidit, ponderavit, & hunc, quem effecit, rerum ordinem cuicunque alii coagmentationi, ob maximam ipsius harmoniam, antepofuit.

§. CLXXVI. Cum ens intelligentia praeditum agit:

agit: is ſtatus, quem per actionem ſuam efficere cupit, ipſius dicitur propoſitum (*finis, cauſa finalis.*) Sine conſilio, coecove impetu agere, non eſt ſapientis. Deus cum ſit ſapientiſſimus: (§. 174.) non poteſt non finem aliquem ſibi habere propoſitum, tum in ſingularum mundi partium natura conſtituenda, tum in arctiori quarundam copulatione efficienda, tum in harmonia univerſarum. Cumque eadem ſapientia omnibus numeris abſoluta, omnem in conſiliis divinis repugnantiam excludat: quoslibet fines Dei particulares ad ſupremum creationis finem collineare, neceſſe eſt. Nulli naturae finitae contingit, hunc admirabilem conſiliorum divinorum contextum plene perſpicere. Deus ſe ipſum ſolus novit.

§. CLXXVII. Neque vero notitia conſiliorum divinorum particularium omnis negata eſt hominum generi: licet maxima pars eorum, quae utcunque cognita habemus, ſit minima eorum, quae ignoramus. Ab uſu rei cujusdam cognito, ad conſilium ejus, a quo res conſtructa eſt, quique illum rei a ſe effectae uſum plene cognoſcit, recte argumentamur: & ex eodem uſu colligimus, id quod naturae rei convenit, reſpondere conſilio effectoris ſapientis, a quo eadem res originem duxit; contra ea omnem mutationem, quae eidem naturae repugnat, cum fine auctoris ſapientis, a quo ortum duxit, pugnare. Cognita itaque natura humana, tum quoad eſſentiam, tum quoad facultates, vires, & nexum cum caeteris mundi partibus, recte concludimus: omnem rectum libertatis noſtrae uſum, hoc eſt, omnem actionum liberarum rectionem, naturae noſtrae conſentaneam,

cum finibus divinis consentire; & quidquid illi sit dissentaneum, his quoque adversari. Hoc sensu, non autem eo, quo *Stoïci* censuerunt, recte dicitur, eum ex voluntate Dei agere, qui *naturam*, voluntatis divinae indicem, *sequitur*.

§ CLXXVIII. *Deus cum sit sapientissimus* (§ 174.) *& beatissimus* (§. 173.): *non potest non esse summe bonus.* Bonus est, qui cupit naturas intelligentia praeditas, adeoque sensum & appetitum felicitatis habentes, videre ac praestare felices. In tanta rerum serie, quas diverso perfectionis naturalis gradu instruxit, Deus entibus intelligentibus insevit studium felicitatis. Si non esset summe bonus, concludi deberet; aut ipsum simul ea non ordinasse, absque quorum concursu & quasi conspiratione physice possibilis non est ejus felicitatis adeptio, cujus desiderium iisdem entibus ingeneravit; aut consulto ipsum voluisse, ut eo, quod necessario cupiunt, careant, physica necessitate obstante. Si voluisset, ut animae essent felices, ad quarum essentiam felicitatis appetitum retulit, nec tamen de remediis necessariis simul ordinandis cogitasset; aut ponis, fieri illas felices praeter consilium divinum; aut physica necessitate impeditas omnino fieri non posse. Priori casu, eventus poneretur *fortuitus in mundo*, qui, quantum ad aeternum ejus effectorem, cogitari nequit. (§. 1 5.) Posteriori casu, aliquis in consiliis divinis quasi hiatus sumeretur: quod pugnat cum natura summae sapientiae. Denique si sumas, Deum idcirco naturas intelligentes fecisse felicitatis suae appetentes, ut hac ipsis negata tanto vehementius cruciarentur, quia suave sit summo Numini, ipsas

ipsas videre miseras, & praestare: id sumis, quod cum summa Dei beatitate pugnat. Haec haud patitur, ut essentiam aliquam, suae oppositam, habeat pro bona. Hanc igitur eligere non potest, adeoque nec velle, neque inter fines creationis referre, neque efficere: sed non potest non velle potius, ut physice possibilis sit tantae felicitatis adeptio, quantam, salvo totius creationis systemate, singulis rerum a se effectarum generibus impertiri potest, & cujus desiderium iisdem insevit.

§. CLXXIX. *Infinitae bonitatis effectus* est *providentia.* Haec est ea pars decreti aeterni, de mundi creatione ac conservatione facti, qua Deus tum viribus suis, (*supernaturalibus.*) tum viribus rerum ab ipso conditarum naturae attributis, bona, in primis entibus intelligentia praeditis, prospicit ea, quibus ad feliciter vivendum indigent, & mala vitae felici opposita ab iisdem avertit. Hanc providentiam qui cum EPICURO negant, necessarium ejus cum bonitate vinculum non perspiciunt. Qui vero ad magnos duntaxat eventus ipsam pertinere putant, & parva curari negant: illi aut nullam de viribus divinis cognitionem habent, & notione maximi & minimi, finitae intelligentiae nostrae accommodata, naturam infinitis praeditam viribus coërcent, aut se ipsos non intelligunt.

§. CLXXX. Jucundissima est mundi contemplatio, in primis ex ea parte, qua manifesta providentiae divinae specimina exhibet. Mundus inanimatus inservit animato. Ad hunc pertinet

immensa rerum varietas. Praeter humanum, forsan complura existunt entium intelligentium, homini parium, aut eo viribus superiorum, genera. Singulis destinatum felicitatis gradum, divinitus esse attributum; notio summae providentiae nos concludere cogit. Hominum certe genus Deo cum bona, quae ad essentiam ipsi propriam pertinent, tum nexum rerum naturalium, felicitati ipsius respondentem, accepta refert: eidemque *malorum averrunco*, ob multarum calamitatum detractionem, occulta eademque benefica manu factam, pia gaudia gratamque mentem merito consecrat. *Physice*, *physiologia*, *psychologia*, argumenta providentiae exceptione majora, perinde atque *historiae* annales, exhibent. Hic est verus philosophiae fructus; progredi in notitia Dei, tanquam providi patris, cui homo est carior, quam sibi.

§. CLXXXI. In primis in vinculo illo, quo hominem cum homine conjunxit Deus, insunt patentissima providentiae, pro hominum salute excubantis, specimina. Manet eadem sexus utriusque proportio, idem ortus, vitae ac mortis ordo: neque hic bellis, vastationibus, & quavis hominum, qui in suam ipsorum necem sunt ingeniosi, stultitia disturbatur. Tot prava consilia, naturali hominum conglutinationi adversa, inflectit Deus: ut nata ex iis bonorum semina in societate progerminent. Sibi se soli vivere putat aliquis. Dulci errore deceptus, vivit aliis, & inscius atque invitus prodest. Aliis te totum vivere bona fide putas & gaudes? Tibi, dum aliis inservis, te praeter exspectationem consuluisse, persaepe expe-

experieris. Tyrannus, ſe unum reſpiciens, & ad ſe referens omnia, furore ſuo de lethargo excitat civium animos, ut, qui ſint, memores, ad libertatem fortiter proclament. Helluo ſuo tantum deſerviens abdomini, alit induſtrios; avarus heredem inopem ditat. Bella populos ignotos aperiunt; pace facta hoſtes conjungunt mercatura; idque foedus mutua artium communicatione arctius devinciunt. &c.

§. CLXXXII. At vero innumerabilis pars hominum miſeria implicatur! Culpa Deum vacare, ratio ex ſummae ſapientiae ac bonitatis notione concludit. Nati ad feliciter vivendum homines non ſunt, niſi ultro, miſeri. Praebuit providum Numen momenta ad recte agendum: *impedimenta moralia* objecit errori, viam felicitati oppoſitam ingredienti.

Ratio inſuper intelligit; poſſe fieri, ut ea, quae de natura divina, & de modo, miſeriam vitandi, ex ſola naturae contemplatione cognoſci nequeunt, ſpeciali *revelatione divina* nobis aperiantur. Hujus patefactionis ſingularis criteria expendit ratio, definit, ſecundum ea inquirit in veritatem eorum, quae divinitus patefacta eſſe perhibentur. Videt illas notas uni doctrinae convenire, quam Chriſto devoti amplectimur. Decernit, hanc ſanctiſſimam inſtitutionem eſſe ſummi beneficii, quo hominum genus providentia affecerit, loco grate accipiendam.

§. CLXXXIII. Neque vero hominibus, tanquam machinis, ſua bona Deus contulit; ſed partem bonorum, ad illum veluti felicitatis orbem abſolvendum neceſſariorum, ipſorum eſſentiae & naturae propriam fecit, in quam nihil habent poteſta-

teſtatis: alteram hujus veluti telae partem ipſis, tamquam entibus intelligentibus, adeoque *libere agentibus*, perficiendam commiſit. Verum ut noſſent libertatis *ſervare modum, finemque tueri: regulas*, hoc eſt *conditiones*, quibus demum ſervatis poſſent felicitatis ſibi deſtinatae menſuram implere, ipſis aperuit. Actiones ſuas conformare cum regulis felicitatis, a Deo ſapientiſſime (*hoc eſt, toti creationis ſyſtemati convenienter*) ordinatis, eſt Deo *obedire.* Ex hac obedientia, ſi foret plena, oriretur ſtatus hominum *moralis*, cum finibus divinis conſentiens, adeoque bonus, hoc eſt verae voluptatis foecundus, & Deo acceptus: cui *viribus* etiam *ſupernaturalibus* tot ac tanta beneficia ſummum Numen ſuper addere poſſet, quot & quanta natura generis humani, ejusque cum toto mundo contextus, patitur.

§. CLXXXIV. Non ſua, ut fieret beatior, ſed noſtra cauſa, ut felices reddamur, a nobis plenam Deus poſtulat obedientiam. *Perfectiſſimus* num noſtra opera poteſt fieri *perfectior?* hoc eſt, num ſucceſſu temporis, ut more humano loquar, majorem attributorum (*realitatum*) multitudinem, majoremque illorum harmoniam, acquirere poteſt, cujus novo quaſi ex conſpectu novam & inuſitatam capiat oblectationem, & uberiorem beatitatis ſuae gradum exaggeret? *Potentiſſimus* (§. 172.) num per infirmos, nullis viribus, niſi a nutu ſuo pendentibus, inſtructos, *mutari* poteſt? Suus eſt (*independens.*). Sibi ſolus ſufficit. Stolide magna pars gentilium putavit, proſperis Deum ſucceſſibus humanis *invidere.* Livor eſt effectus infirmitatis. Cui nihil virium deeſt, qui regit fortunam, isne cuiquam invidere poteſt? Beati-

tas

tas divina ex ea parte conſiderata, qua, omnem acceſſionem aut deceſſionem excludens, nulla externa, ut perennet, ope indiget, veram *majeſtatis divinae* notionem abſolvit : quae nec cum mundo univerſo, nec cum ulla ejus parte, licet praeſtantiſſima, communicari poteſt. Igitur caute & reverenter a majeſtate humana, & iis, quae ad eam tuendam ſunt neceſſaria, ad divinam argumentemur.

§. CLXXXV. Si ſibi homines idcirco *obtemperare* Deus voluit, ut ſinguli actus, ab obedientia profecti, veras, & una hac via parabiles, voluptates, (vera bona) iis, qui obediunt, adjiciant: (§. 188.) patet, ſingula morum praecepta divinitus ordinata, eſſe demonſtrationes viae breviſſimae ad felicitatem. Veriſſime Servator *jugum*, quod diſcipulis ſuis incutiat, dixit eſſe *lene*, & *onus leve*.

Ex eodem efficitur; ſtudium hominis in eo elaborantis, ut voluntati divinae congruenter *ſe amet*, *atque alios aeque ac ſe ipſum*, eſſe gratam ſummo Numini adorationem. Recte apud Ciceronem Cato: *Nec vero dubitet agricola, quaerenti, cui ſerat? reſpondere: Diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a majoribus voluerunt; ſed etiam poſteris tradere.*

§. CLXXXVI. Tanta Dei, ſuapte vi beatiſſimi, benignitas parere debet ſummam hominis in ipſo *fiduciam*, ſummumque ipſius *amorem*. Nunquam *coeca* eſſe poteſt noſtra erga Deum obedientia: niti enim poteſt ac debet hac certa perſuaſione; nihil ipſum praecipere, niſi quod bonum eſt, nihil vetare, niſi quod malum; ſeu det, quae cupimus, ſeu neget, a patre ſapientiſſimo ſemper no-

nobis optime provideri. (§. 180.) Ex hac fiducia nascuntur preces; cum *optamus, ut bona nobis a Deo conferantur, ſpe adeptionis poſita in divina ſapientia & bonitate.* Non Dei, ſed noſtrum intereſt, preces mente concipere, & conceptas verbis explicare. (§. 193.)

§. CLXXXVII. Summus erga Deum *amor* eſt *ſtudium ſummam voluptatem ponendi in cognitione naturae divinae, & noſtrae apud ipſum gratiae.* Non alius *amor Dei purus*, niſi hic, in hominem cadere videtur. Quo magis Deum amas, eo impenſius te ipſum.

§. CLXXXVIII. *Si Deus eſt infinite ſapiens & bonus: eſt & infinite verax & juſtus.* Veritatis amor poſitus eſt in ſtudio efficiendi, ne per ſignificationem voluntatis aliquis, cujus intereſt eam vere ſcire, in errorem ipſi perniciosum inducatur. Quid ſcire interſit hominum generis, quidve ignorare; is ſolus aeſtimare poteſt, qui ſumma praeditus ſapientia, futura omnia perſpicit. Ea vero, quae ſcitu nobis ſunt neceſſaria, tam evidenter ſignificare, quam poſtulat is modus & terminus, quem intelligentiae humanae Deus ipſe praefinivit; ſummae convenit bonitati. Et certas igitur & evidentes eſſe regulas felicitatis humanae, ex eo patet, quod ſunt divinae. (§. 28.)

§. CLXXXIX. *Juſtitia Dei* eſt attributum Dei, poſitum in uſu remediorum optimorum ad regulas tuendas, quas de felicitate entium intelligentium (*ſpirituum*) ordinavit. Hac fit, ut perturbatio ordinis ſapientiſſime conſtituti evitetur. Ipſa vero remedia, quibus ſum-

ſummum Numen utitur, nunquam ſapientiae & bonitati infinitae repugnare poſſunt. Id enim vetat ſummus attributorum divinorum conſenſus.

Neque eſt, cur *accuſemus* juſtitiam divinam, quod cum actionibus noſtris, ordini divinitus conſtituto contrariis, privationem aut negationem bonorum connectat. Si horum attributio cum ſalute noſtra, ac conſervatione ordinis, in tuendo creationis ſyſtemate neceſſarii, pugnet: quid ſtatuet *ſapiens bonitas*?

Eſt vero, cur juſtitiam Dei *timeamus*, id eſt, eum *ſtatum* averſemur, quem quia Deus averſatur, boni exſortem, malique feracem fore, praevidemus. Is *timor* non eſt oppoſitus amori erga Deum, ſed ex hoc naſcitur. Quem veneramur & amamus, cui magna beneficia accepta referimus; is ne ſtatum noſtrum moralem improbet, ſemper timemus. Timorem ab amore ſejunctum, cujus plena eſt *ſuperſtitio*, Deus pro ſumma ſapientia ſua, tanquam remedium felicitati contrarium, averſatur, & pro ſumma bonitate ſua odit.

§. CXC. Ex his, quae hactenus diſputavimus, apparet, quid ſit, & quantopere cum felicitate noſtra conjungatur, RELIGIO. Haec, quatenus in *animo ineſſe* dicitur, eſt *cognitio Dei*, *conjuncta cum ſtudio eam perficiendi*, *ipſique convenienter vivendi*. Neque re differt haec definitio ab ea, quae aliis probatur; cum religio eſſe dicitur *gloria Dei*, *& ejus illuſtratio*: ſiquidem *gloria Dei* vel denotat *relationem attributorum divinorum*, *ad cognitionem entium intelligentia finita praeditorum*; vel *ipſam horum majorem cognitionem de perfectionibus divinis*: & *illuſtrare gloriam Dei*, ſive *gloriae divinae convenienter agere*, habet hanc ſententiam, *ex cognitione de Deo*, *& inprimis de voluntate divina*, *depromere momentum*, *caeteris omnibus*

nibus praeponderans, *id agendi*, *quod naturae agentis convenit*: veluti si quis pauperem *Dei causa* sublevet, hoc est, quoniam eo, quo ipsum juvat, tempore sit memor, velle Deum, ut mutuae indigentiae succurramus. Eo eniti, ut cognitionem naturae divinae augeas, adorare Deum, (§. 172.) ei obedire, (§. 185.) in ipso confidere, & acquiescere, (§. 186.) pleno amoris timore ipsum colere, gratiamque apud Numen ipsius colligere studere; (§. 189.) sunt praecipuae partes religionis, & totidem causae verae, stabiles, & foecundissimae purissimarum voluptatum.

§. CXCI. *Religio* (§. 190.) dicitur *interna*, quae in actibus mentis subsistit. Est vel *naturalis*, quam ratio ex contemplatione naturae colligit: vel *revelata*, quae priorem confirmans ac perficiens, viribus Dei supernaturalibus tradita est hominum generi (§. 182.). Ab interna religione non re, sed cogitatione, divellitur *externa*: quae vel accipitur pro complexu *doctrinarum de natura & voluntate divina*, *modoque huic convenienter agendi*, *quas quis pro veris se habere profitetur*: vel est *complexus actionum externarum*, *internae religionis effectum & signa exhibentium*. Quaelibet actio externa, *quae proficiscitur a consilio*, *finibus divinis*, *seu voluntati divinae*, *conformiter agendi*, est *pia*, & pars religionis externae. De hac generatim ex data definitione concludimus; nullam esse, quae internae repugnet, huic vero omnem actum minus esse consentaneum, qui regulis felicitatis humanae, divinitus constitutis, adversetur. Unde nec quivis fervor seu *Zelus* in propaganda Dei gloria (§. 190.) Deo placet, sed is

is demum, quo haec vere propagari poteſt: qui a quavis malignitate averſus, ad tolerationem errantium, cujus Deus ipſe exemplum praebuit optimum, atque etiamnum praebet, pronus, ſola vi argumentorum expoſitorum, ampliorem & veriorem de Deo notitiam in animos imperitorum aut errantium blande & firmiter inſinuare ſtudeat. Unit homines religio, non divellit.

§. CXCII. Inter actiones, quae a religione, tanquam momento primario, proficiſcuntur, ſunt quaedam, quae ad hunc ſcopum unice tendunt: ut animus, meditationi rerum divinarum intentus, & cognitione Dei, & ardore *pietatis* (hoc eſt, ſtudio Deum adorandi, & ob attributa ſua, atque ſumma beneficia, amandi) magis imbuatur. Comprehenſio actionum, quibus ad extendendam cognitionem de Deo, & ad vivam noſtrae erga ſummum Numen relationis cogitationem excitandam, unice nitimur, appellatur *cultus Dei.*

§. CXCIII. Id animi corporisque noſtri eſt vinculum: ut non ſolum motibus quibusdam voluntariis corporis indigeat animus, id, quod cogitat, volens ſignificare aliis hominibus: ſed & ut iisdem ipſi perſaepe opus ſit, ad lucem, continuationem, & ipſam quaſi vitam, cogitationum perficiendam. Ob hanc cauſam homines indigent *cultu Dei externo.* Is in actibus corporis poſitus, niſi ſit ſignum vel effectus *interni*, nullus eſt. Cultus enim externus ſimpliciter ad *oſtentationem*, qualicunque de cauſa, comparatus, (qualis eſt *hypocriticus*) *cultus inanis*, cui nulla animi pii actio ſubeſt, quem *automaticum* dicere poſſis, non ſunt digni nomine venerabili, cujus ſpecie fallunt.

Nulla pars cultus *interni*, vel externi, peragi po-

potest sine incremento verarum voluptatum. Ex quo apparet, quam omni ex parte amabilis sit religio. Aberrant a consilio divino, si qui faciant docendo, ne ametur.

SECTIO VII.

Virtus.

§. CXCIV. A beatitate divina, summo illo perpetuoque Dei gaudio, infinite distat felicitatis, hominum generi destinatae, conditio. *Illa* cujuscunque doloris intervenientis, diminutionis, incrementi, vel *successionis*, expers, non potest non enasci *ex cognitione perfectissima*, *quam Deus habet de plenissima attributorum ac decretorum suorum harmonia. Haec* quia *naturae finitae* attributa est, finita esse debet, atque cum ambitu, tum limitibus suis, respondere consilio; quod Deus in compositione hujus universi habuit. Ex utraque limitum hujus felicitatis causa cognoscitur: cur ea non simul ad id, quod ipsi, praefixum est, fastigium evehatur, sed uti diminutionis, ita & accessionis, capax, gradatim, & eo demum, quem providus hominum pater definivit, ordine, ad istud ascendat. Pars ejus pendet *a causis naturalibus: (interiori hominis constitutione, & nexu cum caeteris rebus ad mundum pertinentibus:)* (§. 183.) pars, praeter beneficia, quae Deus pro summa providentia sua singulis dispensat, pendet a *consensu actionum liberarum cum regulis*, quas Sect. 3, 4, 5, 6. delineavimus.

§. CXCV.

§. CXCV. De *ultima parte* (§. 194.) hic agitur. Perpetua harmonia actionum liberarum inter se, & cum regulis, & hujus harmoniae conscientia, *in toto vitae tenore*, opus est, ad cursum vitae omni ex parte felicis conficiendum. Diximus, *in toto vitae tenore.* Vitam, quae plene felix dici possit, sibi semper consentaneam (*systematicam*) esse oportet. Nam ut nemo sanum vocaverit, cujus furori aliquot dilucida intervalla interponuntur: ita felix non est praedicandus, qui raro aut per intervalla sapit. Omnis, etiam minima, repugnantja in serie actionum liberarum admissa, gignit privationem bonorum, fit causa dolorum, praecipue *ex poenitentia*, obest felicitati.

§. CXCVI. Haec vero *perpetua* actionum liberarum harmonia ut obtineatur: exigitur, ut a) *decreta animi* sint *recta*, seu, quod eodem redit, consentiant cum regulis, ad cursum vitae felicis regendum, divinitus constitutis: b) ut momenta, (§. 7.) ex quibus illa decreta profluunt, sint optima, seu nobilissima: c) ut haec momenta vim praesentissimam habeant, animum impellendi ad id eligendum ac decernendum, quod naturae humanae convenit, & idcirco vere bonum est.

§. CXCVII. De regulis, cum quibus *singulae actiones* conformandae sunt, exposuimus. Superest, ut *momenta* earundem actionum *meliora* investigemus, & *modum* efficiendi, ut iisdem mens celeriter flectatur. Quaelibet momenta, quibus voluntas inclinatur, a praesensione vel cogitatione effectuum actionis suscipiendae vel omittendae oriuntur. Diximus, (§. 89.) hos effectus esse vel adventitios, (*qui a causis naturalibus extra nos positis, contin-*

gentibus, *mutabilibus*, *praesertim ab aliorum hominum judiciis & actionibus pendent*, veluti *laus*, *honores*, *opes* &c.) vel esse necessarios, qui ab essentia actionis divelli nequeant. Et posteriores quidem effectus sunt positi in duplici genere verae voluptatis; alterum per se nascitur ex cognita harmonia actionis cum natura nostra, (§. 41.): alterum ex ejusdem actionis consensu cum finibus, adeoque voluntate, summi Numinis (§. 177.). Primum momentorum genus, quod a *priori effectuum genere* ducitur, non est vituperabile per se, sed arctiori copulationi, qua singuli homines cum genere humano, & caeteris rebus naturalibus devinciuntur, consentaneum. Verum illud nobilitate, & vi ad felicitatem *stabiliendam & augendam*, cedit iis momentis, quae a *posteriori effectuum genere* ducuntur. *Illa* enim momenta, quoties exigua vel nulla spes est optati successus, languent, & aliquando nihil habent nervorum: contra *haec* omni loco & tempore vim praesentissimam habere possunt, mentem flectendi. Ergo laborandum, ne *prius* momentorum genus fiat *unicum*, ideoque *dominans*; sed ut vincatur *posteriori* genere, utque *hoc* fiat summum, & maxime efficax.

§. CXCVIII. Parum vero juvat, nosse & probare sententias nobiles, quae actionem naturae consentaneam, nullis licet comitatam externis praemiis, nudam, non honoratam, suopte pretio aestimant: nisi haec semina bonae mentis ad fructum perveniant, & dicere possis cum AJACE: *Spectemur agendo.* Quod fit, cum acquiritur facilitas, cum recte judicandi, hoc est, verum bonum,

num, quod eſt cauſa verae voluptatis, a falſo, quod ſpecie verae voluptatis ludit, diſtinguendi, tum id cognitum ob eam cauſam, quod *per ſe bonum* eſt, & *Deo placet*, haud aegre eligendi.

§. CXCIX. *Robur mentis poſitum in promtitudine diſtinguendi malum a bono, id hoc ob convenientiam ſuam cum natura humana, & voluntate ſummi Numinis, efficiendi*, eſt *Virtus*. Ex qua definitione concludimus: 1) poſitam non eſſe virtutem in conformatione actionum cum iis agendi regulis, quae *ſocietati cuique majori minorive laude* aut *vituperatione dignae* (*honeſta & turpia*) videntur: quia diſcrimen boni & mali non opinione hominum fluxa & mutabili, (§. 44.) nec quacunque utilitatis tranſitoriae ſpecie, nec legibus, quas impotentis dominationis miniſtras & adjutrices calliditas ſuggeſſit, ſed natura conſtat, (§. 29.) quae mutari nequit. 2) Una eſt *virtus*. Gradu tamen differre poteſt. Quae vulgo enumerantur virtutes: (v. c. *cardinales*, *homileticae* &c.) non ſunt, niſi ejusdem virtutis applicationes ad diverſa actionum liberarum genera. 3) Manifeſtum eſt, nimis vage, & parum accommodate ad naturam virtutis, contendere ARISTOTELICOS, illam eſſe ponendam in *mediocritate*, ſeu ſtatu hominis, id, quod nimium, quodve parum eſt, evitantis.

§. CC. Neque 4) iis aſſentimur, qui a notione virtutis excludunt ſtudium hominis, idcirco ſecundum regulas agentis, ut *recte factorum conſcientia* exhilaretur. Natura nos ad hujus voluptatis conſequendae ſtudium ducit. (§. 53.) Sequi naturam nos oportet, non ea exigere, quae eo ſpectant, ut exuatur; quod fieri nequit. 5) Ex definitione data colli-

gimus, inter virtutem hominis, qui, quicquid agit, optimis incitatus momentis (§. 197.) agit, & *vitiositatem*, quae est posita in promtitudine contra naturam agendi, interjectum esse genus quoddam actionum & vitae medium, cui neutrum nomen conveniat.

§. CCI. Quaenam vero sunt commoda virtutis? virtutis, quae neque aspernetur, neque unice captet, praemia adventitia, sed sua ipsius mercede contenta, semper actuosa, semper sibi similis, eum formet animum, quem nunquam sui poeniteat? Rectene BRUTUS exclamavit, rem sibi visam esse virtutem, nunc autem sibi patere, nihil eam esse, nisi nomen inane? Ratio, quae ex natura rerum argumentatur, & experientia, quae ex effectu manifesto causam cognoscere docet, in eo consentiunt; & *pulchram* esse virtutem, & a felicitate humana non dissociabilem, ac recte cum JUVENALI dici:

Semita certe
Tranquillae per virtutem patet unica vitae.

§. CCII. *Pulchra est virtus.* Ex ea enim oritur harmonia variorum actuum, ex quibus totum aliquod boni plenum componitur, quod ab animo contemplatoris nec diu, nec nimis, intento, absque defatigatione, clare, & cum voluptate, cognosci potest. Hoc pulchrum, quod in virtute inest, ut a caeteris pulchri generibus distinguatur, *morale* dicimus. Juvat, non solum videre vitam sibi semper in summa negotiorum varietate consentaneam, sed & nobilissima cernere agendi momenta, quorum vi illa vitae constantia obtinetur. Per se placet *imago viri boni*: id est, viri Deo fidi, benevolentia sincera calentis, sibi nunquam, aliis facile, igno-

ignoſcentis, quem nec poeniteat gratis eſſe probum, cujus conſtantiam non frangat metus, non relaxet mollitudo, non dehoneſtet aviditas, non vellicet gloriae, honorum, aut dominationis aeſtus, qui *velut in ignibus aurum*, ſic *tempore duro* ſpectatus, ſe revereatur. Ita diſpoſiti ſunt veluti nervi animi, ut tali imagine affecti, extemplo quaſi ſonum, quem natura cupit, reddant, hoc eſt, ſenſum voluptatis excitent. (§. 47.).

Ineſt in virtute praeter amabilitatem, admirabilitas quaedam, & vis ſui reverentiam injiciendi contemplatoribus. Neque ea naſcitur ex diſtincta & operoſa cogitatione utilium & egregiorum, quos gignit virtus, effectuum. Statim ut hujus quaſi facies menti obverſatur; ſenſus internus afficitur, ac veneratio, omni prior argumentatione, exoritur. Quantam haec reverentia habeat vim in animis: *inimicorum*, quos illa aeque, ac ſpectatores tranquillos, ferit, angor demonſtrat. Inimici cum ſentiunt, occulto quodam impetu ſe adigi ad eundem hominem reverendum, quem odio proſequuntur: hanc hujus utriusque affectionis, ſibi oppoſitae, luctam diu ferre nequeunt. Hinc aut exuunt odium, aut ſi illud a ſe impetrare non poſſunt, id moliuntur: ut ejus reverentiae tacitae vim commentis & ſuſpicionibus labefactent. A malis propterea, vel certe ignobilibus, (§. 197.) momentis proficiſci fingunt facinora, quae eleganti ſpecie ſua faſcinent oculos: *hiſtrioniam* vocant, quae virtus videatur, eo digniorem contemtu & odio, quo magis *inani ſplendore* fallat.

§. CCIII. *Virtus nunquam eſt infelix: nec quisquam, qui ea pollet, miſer.* Nam qui habet pectus generoſo incoctum honeſto, ideoque munitius adverſus mali illecebras, illum, ſeu agat, ſeu non agat, ſui

non poenitet. His qui objiciunt, bonis plerumque esse male, & malis bene: aut sonos inanes fundunt, aut non cogitant, posse hominem in doloribus quoque felicem praedicari. (§. 89.). Cum fortuna, ludum insolentem ludere pertinax, optatis aut consiliis viri boni deest: dolet; sed explicata fronte dolet: quoniam *prosperitatis*, in *bonorum externorum* copia & amplificatione positae, defectum, supplet ac superat mentis, pristina recordantis gaudia, ac futura sperantis, tranquillitas, ac constans, isque ad modum dulcis, *roboris interni* sensus.

§. CCIV. *Si pulchra*, (§. 202.) *si felix*, (§. 203.) est virtus: merito requiritur, quae remedia ipsam assequendi experientia & ratio suppeditent. Tribus partibus absolvitur virtutis notio: (§. 199.) judiciis sanis de bono maloque, momentis nobilibus, & promtitudine horum vi utendi, ut mens id, quod naturae suae convenit, lubenter eligat & exequatur. Regulas, ex quibus, quae judicia sint sana, quaeve corrupta, aestimari possit, pariter ac causam, qua fiat, ut bonum distincte cognitum, vim animi movendi languidam habeat, aut nullam, expedivimus. His itaque cognitis, dispiciendum est; quonam modo *promtitudinem* recte de bono maloque judicandi, & bonum cognitum amplectendi, assequamur.

§. CCV. Omnis promtitudo sive corporis, sive animi, *exercitatione* comparatur. Quod raro fit, aegre suscipitur, & difficulter transigitur. Opus itaque est exercitatione, etiam in duplici hac promptitudine acquirenda. altera, bonum *dignoscendi*, altera *idem appetendi & efficiendi.* Quod ad *primam* attinet, nunquam cele-

celeritas verum bonum a falſo diſtinguendi comparari poteſt: niſi ea, quae corrumpunt judicii ſanitatem, avertantur, vel quae corruperunt, tollantur. Ad haec inprimis pertinet perverſitas *educationis*, ſive *privatae*, ſive *publicae.* Vidimus, (§. 35.) praejudicatas opiniones *gentilitias*, vel *toti nationi communes*, vel educatoribus, & iis, qui primam aetatem conſortiis familiaribus formant, *proprias*, eam boni cognitionem, quam ſuggerunt ſenſus moralis & inſtinctus, inflectere ſolere ad falſas & noxias vitae regulas pro veris aſſumendas, quae in tenella aetate vim axiomatum facile ſuſcipiant, nec niſi morte amittant. Hoc modo efficitur, ut in animos cereos inſinuetur religionis ab ea, quam quis probat, diverſae, numquam licet examinatae, vehemens deteſtatio, ſuperſtitio, mos, *ut puteris ſapiens*, *coelum vituperandi*, odium gentis in gentem, ſuperbia nationis, contemtus inſtitutorum vitae, quibus nullum in ſocietate, in qua vivis, pretium ſtatuitur. &c.

§. CCVI. Si ad depravanda ingenia magna vis eſt *educationis:* non exigua hujus eſt vis in iisdem formandis, ad comparandam recte de bono judicandi facilitatem. In quam curam incumbentibus non ſolum *animi*, ſed *&* *corporis*, habenda eſt ratio. *Hujus* enim ſtatus multum facit ad quasdam de bono maloque praejudicatas & noxias opiniones facilius aut aegrius ſuſcipiendas. Ita v. c. *nimis molli educatione* non ſolum efficitur, ut corpus minus ſit vegetum, ſed & ut animus adſueſcat illis vitae praeceptis rejiciendis, quibus absque labore, moleſtia, diuturna doloris patientia, obtemperari nequit. Itaque iis in actibus, qui vigorem ad audendum, conſtantiam in perferendis acerbitatibus, fortitudinem in pe-

riculis despiciendis, postulant, animus mollitia imbutus, reluctantem talibus consiliis nervorum corporis sui debilitatem persentiscens, aut nunquam, aut admodum difficulter, & languide ad ea, quae fieri oportet, audenda, ducetur. Hinc Minos & Lycurgus ad fortitudinem, patriae causa quaevis discrimina spernentem, cives formaturi, a robore corporis curando fecerunt initium, ac laboribus maresque feminasque erudiverunt, illos praesertim *venando*, *currendo*, *esuriendo*, *sitiendo*, *algendo*, *aestuando*: quamvis in eo modum excesserint *Spartiatae*, quod, ut refert Cicero, *pueros ad aram sic verberarent, ut multus e visceribus sanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem, quorum non modo nemo exclamaret unquam, sed ne ingemisceret quidem.*

§. CCVII. Qui vero impuberum *mentes* ad facilem boni malique intelligentiam ducere student; recte fecerint, cum eos mature dimoverint a consuetudine, bonum & malum non ex se ipso, sed ex aequalium judicio, vel ex *lucro* & *praemiis*, aestimandi. Videant, ne inficiantur *pravis consortiis*, neve ipsos pudeat bonae mentis, sed ut *sapere ausint*. Dent operam; ut nativam, quae in puerulis inest, *observandi cupiditatem* & *alacritatem* alant, incitent, regant.

§. CCVIII. Regunt, dum *in re praesenti* eos quasi ludendo docent, effectus actionum propriarum & alienarum attendere, ex iis *ordinem naturae immutabilem*, & *huic conformes vitae regulas* concludere, ac vitare *fallacias*, quae in talibus observationibus & conclusionibus repente obrepere solent. Has regulas altius infigent animo quisque suo juvenes, quod earum veritatem, quam viderunt, senserunt,

runt, non tam credunt aliis, quam ſibi. Praeceptis minus explicatis, aut intellectis, memoriam onerare, vel ratiociniis (a priori) cum gravitate prolatis fatigare, & diſtrahere attentionem animorum, plerumque nocet. Infirma aetas id reſpuit & averſatur, cujus veritatem & utilitatem difficulter comprehendit. Poenarum perpetuo terrore rudes implere animos, hunc uſum praeſtat: ut praecepta vitae habeant pro malo intolerando, pro ſarcina gravi, quam cupide abjiciunt, cum primum poſſunt.

§. CCIX. Adultiores, majori confirmatae rationis uſu inſtructi, ipſi, dum vivunt, in eo elaborare debent, ut *perpetua exercitatione* majorem ſibi recte judicandi facilitatem comparent. Idcirco neceſſe eſt, 1) ut opiniones veteres, a teneris & velut cum lacte nutricis ſuſceptas, recognoſcant. (§. 17.) Deinde 2) diligens actorum diurnorum reputatio, (quod conſilium, ex diſciplina Pythagorae hauſtum, dederunt Stoïci) & praeterea majoris cujusdam geſtorum & eventuum epochae recognitio, huic uſui erunt: ut vel errores quisque ſuos deprehenſos emendare poſſint, vel cum recte ſe judicaſſe vident, eadem ſpecie iterum oblata, bonum a malo celerius dignoſcant. 3) Judicia aliena de *ſuis* & *alienis* actionibus merito quisque curat. Seu ſana ſint, ſeu inepta, hanc utilitatem afferent, ne plus, quam par eſt, tibi in regendo vitae curſu fidere diſcas, neve diffidere nimis. 4) Fructuoſa quoque eſt lectio & auditio eorum, qui, de praeceptis vitae in utramque partem diſputant. 5) Habere inſuper amicum ſincerum, a quo monearis, uti rara eſt fortuna, ita ma-

magnum recte judicandi adjumentum. 6) Neque negliget, inimicis, ad sua vitia pervidenda plerumque lippis, & ad aliena lynceis, uti magistris, quem sapere juvat.

§. CCX. Hactenus de altera virtutis parte vidimus. (§. 205.) Altera, quae est posita in promtitudine bonum cognitum efficiendi, cum priori continetur indissolubili vinculo. Quem in finem opera danda est, ut causae imbecillitatis, quae transitum mentis a *cognitione* ad *actionem* impediunt, (§. 77.) quantum ejus fieri potest, vel avertantur, vel tollantur. In tenera aetate, educatorum fidei commissa, videndum, ne qua propensio dominans inolescat. Hinc multa ei aetati *neganda* sunt, ne cui cupiditati juvenes servire incipiant, infirmiores deinceps futuri, quam ut ab inveterata consuetudine semet liberare ausint. Adsuefaciendi sunt exemplis, quippe ad imitandum natura proni, ut luculenta v. c. mutuae benevolentiae specimina edant. Adducendi, ut *sensum moralem* attendere discant. Quod in regendis & utendis naturae instinctibus ratio, cujus usus aetate demum acquiritur, efficere debet: id fidus ac prudens impuberibus & adolescentibus praestet magister.

§. CCXI. Adultiores ut recte *agendi* facilitatem assequantur; necesse est, studeant *cognitioni sui ipsius*, inprimis indolis nativae, (§. 79.) propensionis, si qua sit, dominantis, quae momentum palmarium plerisque actionibus praebet. (§. 80.). Ad talem propensionem subigendam, & ad difficultatem superandam, id eligendi, quod in praesens acerbitatem affert, est multa & diuturna

exer-

exercitatione opus. Sola vis argumentationum non sufficit. (§. 78.) Adsuefacienda est mens, ut cum cognitione boni distincta (*& rationali*) conjungat vim *instinctuum naturalium*, & cognitionem, quam vocant, *sensitivam*, eo effectu, ut *videre* verum bonum, & eo *moveri*, intervallo, quam fieri potest, brevissimo distent. Ideo adsuescat animus, *gustare* suavitatem, quae tum ex singulis actibus, naturae, adeoque *voluntati divinae*, consentaneis, tum ex *rythmo vitae*, nascitur. Ita fiet *meditatione & actione*, ut, eodem bonorum genere proposito, voluntas prono ad id amplectendum impetu feratur; & superabitur difficultas vitandi pugnam animi internam, videntis meliora & facientis contraria; quamdiu id agetur, ut *vigor momentorum meliorum*, conservetur & augeatur.

Ex *majori aut minori horum momentorum vigore*, cognosci potest ratio *diversi in diversis virtutum gradus*. Valet hic, quod de causa, cur idem labor imperatori sit levis, qui militi gravis, affirmavit XENOPHON: nempe, quod *ipse honos laborem leviorem faciat imperatorium*.

§. CCXII. Praeter has exercitationes sunt aliae, quas a veteribus quibusdam commendatas, praeterimus: quia haud magnum momentum ad progressum in virtute habere videntur. Ea vero, quae exposuimus, hujus quaerendae adjumenta, non excludit, sed confirmat, iisque praestabiliora & optima superaddit subsidia ea revelata religio, quae interiores animorum recessus scrutans, vulnera infligit conscientiae, & sanat. (§. 182.)

PARS

PARS II.

NOTIONEM LEGUM NATURALIUM, ET MODUM, EAS AD FACTA APPLICANDI, EXPONIT.

SECTIO I.

Obligationis & legum naturalium definitio, origo, perfectio, divisiones.

§. CCXIII. Ea eſt natura intelligentiae humanae; ut a ſingularibus ideis ad colligendas inde univerſales, & ab harum cognitione ad diſtincte perſpiciendam veritatum, aliarum ex aliis nexarum, ſeriem, gradatim adſcendat. Nos quidem, in explicando vitae felicis curſu, hactenus eundem tenere ordinem ſtuduimus, quem natura, magiſtra optima, ſervat in modo, quo & cognitio regularum, quae ad illum curſum tenendum pertinent, & naſcens ex ſtudio his obtemperandi felicitatis progreſſio, procedente aetate, gradatim acquiritur. His, ut ſperamus, in aprico poſitis; partim concluſionum, quae ſuperſunt, quaſque, ut ajunt, *a priori* demonſtrari oportet, complexio lucidiorem habebit explicatum, par-

partim *re intellecta*, facilius verba declarari poterunt, quibus utuntur philosophi, ut pressius loquantur.

§. CCXIV. Una ad felicitatem patet via, in qua monstranda hactenus versati sumus. Eam mutare, superat vires hominis, sed ipsam ingredi aut deserere, est in ejus libertate positum. (§. 22.) Seu eam teneat, seu ab ea deflectat; effectus, utrumque hoc vitae genus consequentes, boni aut mali, sunt divinitus ordinati, ab utraque vita naturaliter haud separabiles, adeoque *necessarii*. Haec *necessitas* consecutionis effectuum bonorum aut malorum, ex actionibus liberis manantium, *physica* dici potest. Eadem vocatur *moralis*, quatenus tribuitur *actionibus ipsis*, ex quibus, tanquam causis, illi *effectus* nascuntur. Has enim aut suscipere aut omittere, integrum homini est: sed si susceptae aut omissae sint, necessaria est definitorum effectuum consecutio. Est itaque haec necessitas non *absoluta*, sed *conditionalis*, hoc sensu, ut si scopum assequi velis, necessaria sit *haec* actionum *rectio*, quia *possibile non est*, ut metam attingas per *rectionem oppositam*. Appellatur *moralis*, ut ad actiones liberas, sive *mores*, applicata, distinguatur a necessitate physica, libertatem excludente.

§. CCXV. Necessitas moralis, quam, qui agit, cognoscere, & qua ad agendum moveri potest, dicitur *obligatio*. Actio libera ex ea parte considerata, qua obligamur ad eam suscipiendam aut omittendam, vocatur *officium*. Notio obligationis tribus partibus constat: 1) hominem, qui obligari dicitur, eligere posse: ergo cum patitur, vel naturae vi ita incitatur, ut,

ut, dum agit, eligere non possit, sive inter duos status futuros alterum alteri praeferre, obligationis notio evanescit. 2) Exigitur, ut detur nexus inter actionem, quae ab electione pendet, & felicitatem ejus, qui illam suscipit aut omittit: utque hic 3) ab eo, qui agit, cognosci, isque ea cognitione ad agendum moveri possit.

§. CCXVI. Neque vitiosa ob eam causam videri debet haec definitio, quod non faciat mentionem *legislatoris*; sive ejus, qui jure fecit, ut effectus quidam boni malique actionem consequantur, quorum antegressam cognitionem momentum agendi praeponderans velit praebere ei, quem obligavit. Definimus obligationem *existentem*, non autem *modum*, quo *existat*. Tradimus notas, quibus *status hominis*, *cum obligatur*, ab *eo statu*, *cum non obligatur*, dignosci possit. Undecunque haec proficiscatur utilium vel noxiorum effectuum cum actione colligatio: sufficit, toties existere obligationem, quoties ille nexus existit, & antequam agas, praevideri potest. Id nos docet sensus internus: dum omnis actionis *liberae* praeteritae, quam cum instinctu primario ad felicitatem pugnare intuemur, nos necessario poenitet. (§. 41.) Haec poenitentia, opprobrii, quo nos ipsi punimus, plena, continet *sensum obligationis*.

Neque est, quod objicias, ideam obligationis nullam esse sine *idea obedientiae*. Nam si momenta expenderis, quibus animus commoveri potest ad faciendum, quod legislatori, vel ei, qui jus habet imperandi, placet: *extremo* redeunt ea ad instin-

ſtinctum primarium (*eſſentialem*) felicitatis. Obedimus Deo, dum huic inſtinctui convenienter agimus. (§. 183.)

§. CCXVII. Poſita obligatione, ponuntur regulae morales, (§. 24.) quae indicant nexum actionis cum felicitate: & *his poſitis*, ponitur *obligatio.* (§. 215.) Complexus *regularum moralium ſimilium* (h. e. ad idem actionum liberarum genus pertinentium) dicitur *lex moralis.* (Quales v. c. ſunt §. 158. traditae.) Leges morales, quas ratio ex naturae humanae contemplatione colligere poteſt, appellantur *leges morales naturales.* Recte itaque ſe habent concluſiones: hanc actionem felicitati agentis fore conſentaneam, vel ex naturae humanae contemplatione, (*a priori*) vel experientia (*a poſteriori*) conſtat, ergo illa legi naturali eſt conformis: & vice converſa, haec actio dicitur legi naturae conſentanea, ergo & cum felicitate conveniat, & hanc convenientiam ratio intelligat, neceſſe eſt. Actio libera, quae *tota* (id eſt, *conſiderata tum reſpectu momentorum, ex quibus decretum animi naſcitur, tum reſpectu decreti ipſius, quod ex illis momentis oritur*) cum lege naturae conſentit, appellatur *bona*, & quae huic opponitur, *mala.*

§. CCXVIII. *Leges naturales ſunt Divinae.* Nam a Deo oriuntur ſingulae regulae morales, quas ratio ex natura colligit. (§.24) Ergo et earum complexus recte eidem ſapientiſſimo auctori adſcribitur. Deus itaque eſt *legiſlator*, hoc eſt, ſapiens & auctor & explicator effectuum, quos actionum cum legibus naturalibus convenientia aut pugna parit. Hae *leges* itaque differunt a *conſiliis.* Illas conſti-

tuen-

tuendo, eam Deus ſimul fecit naturam hominis, ut ex ſingulis actionum liberarum generibus terminati, & non alii, effectus naſcantur. Effectus boni, quos Deus cum actionibus bonis (§. 217.) conjunxit, ſunt praemia *divina*, mali autem cum malis actibus conjuncti, appellantur *poenae divinae*. Natura vero humana eſt hujusmodi, ut vel ex naturali rerum nexu praemia & poenae in hominem deriventur: quae dicuntur *poenae & praemia naturalia*: vel ut viribus ſupernaturalibus bona & mala conſequentia cum actionibus hominum liberis connecti poſſint: quae *poenae & praemia* appellantur *ſupernaturalia.*

§. CCXIX. Quaeſtio, quo jure Deus leges naturales dederit, ſeu quodnam ſit fundamentum *poteſtatis legislatoriae divinae*, redit ad hanc: quo jure eam, quam conſtituit, naturam fecerit hominis? Quo jure ipſi non ſimul plenam felicitatis poſſeſſionem impertiverit, ſed gradatim, frequenti multorum dolorum interventu, nec ſubmotis omnibus poenitendi cauſis? Dicamus igitur, Deum pro *ſumma ſapientia ſua* gradum felicitatis demenſum deſtinaſſe hominum generi. Concludamus; ergo & conditiones ejus obtinendi, ordini & ſcopo rerum creatarum, atque differentiis, quibus varia, & forte immenſa, entium intelligentia praeditorum genera diſtinxit, conſentaneas, definiviſſe, hunc in modum, ut leges *naturales* nihil ſint, niſi earundem conditionum complexus, ita explicatus, ut ab homine intelligi poſſit. Dicamus inſuper, Deum pro ſumma *beatitate* ſua non poſtulaſſe *obedientiam* ab hominibus, divulſum a vero felicitatis propriae ſtudio, ſed in hujus poſſeſſione, pro ſumma *bonitate ſua*, (§. 178.) poſuiſſe

fru-

fructum obedientiae, quam exigit. (§.185.) Parum itaque naturam divinam, & obligationis (§.215.) ac legum naturalium (§. 217.) indolem, cognitam habent, qui potestatem Dei legislatoriam repetunt a *potentia summa, cui resisti nequeat.*

§. CCXX. Leges naturales cum sint *divinae*: (§. 218.) sequitur, esse 1) *aeternas*, 2) *immutabiles*, quoniam in decretis divinis nec *successio* cogitari potest, nec *mutatio*, 3) *bonas*, siquidem Deus nihil decernere potest, nisi quod summae bonitati convenit, (§. 178.) 4) *naturae humanae accommodatas, & attributis divinis non repugnantes*: quia in decretis suis & operibus Deus cum semet ipso pugnare non potest. (§. 176.)

§. CCXXI. Proinde 5) intelligitur, leges naturales esse *perfectas*, hoc est, plenissime & inter se & cum fine suo, scilicet felicitatis hominum generi destinatae consecutione, & cum attributis divinis, *consentire. Harmonia* enim *variorum ad bonum aliquod efficiendum conspirantium*, est id quod nomine *perfectionis* comprehenditur. Si sunt perfectae, concludimus, 6) fieri non posse, ut existimentur plane *arbitrariae*. Cumque notio *libertatis divinae* denotet *summam sapientia, videntem optima & agentem sine ullis impedimentis internis aut externis*: non male nobis affirmare videmur: Deum has, quas condidit, leges naturales constituisse, quia est sapientissimus, & non alias condere potuisse, tametsi sit liberrimus.

§. CCXXII. *Leges naturales ſunt certae.* Quod enim (§. 27, 28) aſſeruimus *de regulis felicitatis*, valet quoque *de earum* complexu, *legibus Naturae.* (§. 188.) Si hae esſent incertae; etiam earum effectus, poſitus in adeptione felicitatis, foret incertus: ergo non ſemper ſequeretur ex convenientia vitae cum legibus, quod pugnaret cum conſilio legislatoris: (§. 183.) aut ſi ex ea oriretur, non ſapienti cuidam ordinationi, ſed *cauſis fortuitis*, acceptus referri deberet. Verum hae cauſae, quod ad ſapientiſſimum mundi opificem, non dantur. (§. 175.) Igitur ex eo, quod leges naturales ſint divinae, intelligitur, certas eſſe oportere. Idem argumentum confirmat experientia. Nam ex hac conſtat, eſſe legem naturae, quia eſt certus & perpetuus conſenſus effectuum, quos habent actiones liberae, cum felicitate vel minuenda, vel perficienda. (§. 26. & 227.)

§. CCXXIII. *Leges naturales ſunt evidentes.* Evidens vocamus, quod vel ſenſu interno ſtatim agnoſcitur, vel ea attentione animi adhibita, quae in homines communi ſenſu praeditos cadit, clare cognoſci poteſt. Talis evidentia ineſt legibus naturalibus. Hae ſi non forent evidentes, earum certa non poſſet acquiri cognitio, nec vinci ignorantia; hoc poſito, aut incertum & fallax, aut nullum, praeberent agendi momentum: proinde nulla ipſis responderet obligatio: (§. 214.) ergo non forent *leges morales.* (§. 217) Praeterea, ſi hae leges non eſſent planae; effectus, quem Deus iis ſanciendis cupit, ut adipiſcantur homines felicitatis ſibi deſignatae poſſeſſionem, obtineri non poſſet. Igitur Deus

Deus remedio ad hunc obtinendum minus apto usus fuisset. Id vero pugnat cum summa sapientia. (§. 174.) *Evidentes itaque oportet esse leges naturales, quia sunt divinae.*

§. CCXXIV. *At enim*, inquis, *ignorantur a magna hominum multitudine, disputantur in utramque partem ab iis, qui prae caeteris sapere creduntur, neque a paucis, sed a gentibus, nec brevi annorum, sed longo saeculorum intervallo, falsae pro veris assumuntur.* Facto concesso, recte negatur conclusio. Complexio legum naturalium est series veritatum aliarum ex aliis nexarum. (*principiorum & conclusionum*) Ad singulas cognoscendas minori contentione virium opus est, dum sensus moralis, instinctus naturae, & effectuum ex actionibus proxime profluentium observatio, viam illius cognitionis facilem aperiunt, sed ad colligationem illorum vitae praeceptorum perspiciendam exigitur attentio major. Hujus vero capax esse hominum genus, eorum exempla evincunt, qui distinctam earum legum notitiam sibi compararunt. Igitur legum naturae ignorantia, incerta, vel falsa, cognitio non nascitur ex earum perplexitate, sed ex inertia & incuria. Quis negaverit lucidos esse solis radios, etsi clausis oculis visum non afficiant?

Hominum culpa accidit, ut societas, quae fons esse debebat veritatis veluti per traducem propagandae, saepe degeneret in contagium errorum. (§. 205.) Frequentius tamen in *conclusionibus*, quam in *principiis*, erratur. Complures *eruditorum* hoc in genere controversiae, si *inanes de vocabulis lites* detraxeris, magis de *methodo docendi*, & de *origine morborum moralium*, deque *remediis corrigendi & praeveniendi mala*, quam de *legibus ipsis*, ventilantur: reliquae

defectum attentionis in his indagandis, variis ex caussis ortum, nonnunquam & penuriam libertatis, in iis ex animi sententia explicandis, demonstrant.

§. CCXXV. *At enim*, inquis, *posita legum naturalium perspicuitate, sensus boni, quod ex singulis oritur, sensus harmoniae universarum cum felicitate, cuique facilis & obuius foret. Est vero haec persuasio difficilis. Nam*

Cum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant.

Si dulce est, pergis, *non facere, quae lex jubet, facere autem necessarium; nimis hebes sit, oportet, ingenium hominis, quod in re tanti momenti coecutit, vel nimis tenebricosa lex naturae, quam acerbam & velut sibi repugnantem natura fastidit.*

Error hominis, sibi pulcre esse putantis, cum legem violat, & male, cum servat, vel stabilis est, vel momento temporis transit. Stabilis ex praejudicatis opinionibus, ab ineunte aetate susceptis, & ex consuetudine agendi, oriri solet. Is vero non magis probat tenebras legum naturalium, quam persuasio aegroti, sibi, cum morti proximus est, melius esse putantis, evincit, nulla dari manifesta signa morbi desperati & mortis instantis.

Erroris subiti, mentem fascinantis eo momento, quo eligit & agit, caussam proximam supra posuimus in *vi quasi attrahente* voluptatis, cui mens *adsueta* est, vel quae *magnitudine sua & propinquitate* adeo tenebris involvit rationes agendi contrarias: ut mens his fixe intuendis vacare vel plane non, vel haud diu, possit. Igitur haec voluntatis inclinatio, ex falsa voluptatis praesentis & doloris futuri dimensione orta, probat imbecillitatem libertatis in defigenda attentione,

ne, (§. 76.) neutiquam id refellit, quod defendimus, lumen legum.

§. CCXXVI. Asseruisse nobis videmur sapientiam promulgationis legum naturalium. Propter evidentiam suam, & propter facultates ingenio humano concessas, earum adipiscendi intelligentiam, recte *cordi hominis inscriptae* dicuntur. Instrumenta adipiscendae hujus cognitionis, quae Deus homini praebuit, supra (Sect. 2.) recensuimus; sensum moralem, instinctus, societatem, intellectum & rationem. Res objecta, quae voluntatem legislatoris aeterni declarat, est natura hominis. Id, quod facit, ut hae leges existant, ac vim obligandi habeant, est *voluntas Dei*, per ipsam naturae humanae constitutionem patefacta. Ludit voce *legis* Hobbesius, cum legem naturae per se esse negat, sed demum fieri contendit, simulac sacro codice approbetur.

§. CCXXVII. *Nulla harum legum datur, aut dari potest, pugna, nullus conflictus* (*collisio.*). Nam si pugnarent, pugnam in divino intellectu sumeres, quae cogitari nequit. *Collidi* dicuntur *duae leges, quibus simul satisfieri nequit.* Posito earum conflictu statuendum foret, Deum vel non simul praevidisse quoscunque casus, ut regulas iis omnibus accommodatas, proinde sine exceptione bonas, praescribere potuerit, vel evidentiae promulgationis aliquid deesse. Neutrum dici potest. (§. 222, 223.) Ergo dari legum naturae *verum* conflictum, recte negatur. Hac in re differunt illae a legibus humanis. Nam qui has condunt, ob intellectus sui limites, non simul

omnia, ſed ſubinde, intuentur, adeoque non ſemper accurate cogitantes, nec ſatis preſſe loquentes, exceptionibus, extendendo, reſtringendo, vitia ſua corrigunt. Sic v. c. leges, *vitam tuam tuere, & mori pro patria haud recuſa*, non colliduntur, ſi accurate enunciantur. Quocirca ſi ſtatuatur conflictus legum, quae naturales dicuntur, is non ineſt in re, ſed in cognitione eas tradentium, aut modo, quo hi illas enuntiant.

§. CCXXVIII Obligatio cum lege naturae conjuncta *ad univerſos pertinet homines*; nec ſi totum genus humanum conſpiret, vel unus homo de communi obligatione eximi poſſet, hoc effectu, ut dum eas leges violet, ſit felix, dum ſervet, miſer. Naturae enim accommodatae ſunt, adeoque & mutari nequeunt, niſi illa mutetur, quod non eſt poſitum in rerum creatarum poteſtate. Neque obſtat huic aſſerto legum diviſio in *abſolutas* & *hypotheticas*, quarum illae regunt *ſtatum omnibus hominibus communem*, hae *quibusdam proprium*. (veluti *leges vivendi*, quas natura praeſcribit *eruditis*, *militibus*, *principibus*). Nam & poſterius legum genus obligationem gignit generalem & omnibus communem, quibus idem ſtatus eſt communis.

§. CCXXIX. Leges naturae conſtituunt & indicant nexum vel *actionis*, vel *omiſſionis* cujusdam, cum effectu bono, ad felicitatem pertinente. Priorem *praecipere* dicuntur, poſteriorem *vetare*. Quamobrem non male in *praecipientes* & *prohibentes* dividuntur. Utriusque tamen generis par eſt obligatio. *Permiſſae* ſeu *licitae* dicuntur actiones

ctiones aut omiſſiones, cum quibus legislator *vel* nullos omnino effectus bonos malosque, vim movendi habentes, *vel* definitum quoddam horum effectuum genus, non conjunxit, aut ſe conjunxiſſe haud ſignificavit. Priori caſu permiſſio dicitur *plena*, poſteriori, *minus plena*. Si exemplum actionis daretur, cujus naturalis cum felicitate copulatio eſſet nulla, aut ab homine non poſſet perſpici: recte ea diceretur lege naturali plene permiſſa. Minus plene permiſſarum complura ſunt genera. Cum v. c. *licitum* eſſe dicunt Icti, petenti ac merenti negare beneficium; non hoc ſibi volunt, cum tali duritie nulla eſſe mala conjuncta, ſed indicant, ea, quae a *coactu humano* proveniunt mala, ab iſto inhumanitatis genere abeſſe.

SECTIO II.

Ethicae Philoſophicae definitio & perfectio.

§. CCXXX. Tanto impenſius oportet eſſe ſtudium veritatis cujusque exquirendae, & a tenebris atque erroribus liberandae: quanto pernicioſior eſt ejus ignoratio, & error illi oppoſitus. Hujusmodi eſt legum naturae, quae viam felicitatis explicant, levis, nimis anguſta, falſa, dubia, languida, cognitio. Quamobrem bene de genere humano meruerunt philoſophi: qui ad aſſequendam & tradendam, pleniorem & efficaciorem rei tam ſalubris & neceſſariae ſcientiam, omnes ingenii exculti vires adhibuerunt.

§. CCXXXI. Nempe cum aliae disciplinae definita bonorum, aliorum aliis praestabiliorum, genera tradant, quibus singulis praesens vita vel minus misera, vel majorum bonorum particeps, efficitur: non negligenda erat ars totius vitae regendae, hoc est, ars tot diversa, quae homini obveniunt, bonorum & malorum genera dignoscendi & dimetiendi, atque animum ita formandi, ut & gaudeat vivere, nec metuat mori. Ex contentione virium ad has vitae regulas inveniendas, & commune, quo continentur, vinculum perspiciendum, enata est pars philosophiae, quae *moralis*, seu ETHICA, dicitur, quia *mores*, sive *vitam*, regere docet. Est vero *disciplina, nexum legum naturalium cum felicitate generis humani, modumque iis convenienter agendi, distincte explicans.* Cum *leges naturae* praecipiant studium & *cognitionis verae* de eo, quod fieri aut non fieri naturae humanae convenit vel repugnat, & *actionis promtae* cum ea cognitione consentientis: (§. 196.) patet, utriusque studii regulas & adjumenta sub *philosophiae moralis* definitione contineri.

§. CCXXXII. Finis *Ethicae philosophicae* est facere docendo, ut & bonum verum a malo notis certis facilius & accuratius dignosci possit, & voluntas ad illud amplectendum, & hoc fugiendum, celerius ac firmius inclinetur. (§. 231.) Fructus itaque hujus disciplinae, quo vincit vulgarem morum doctrinam, ponendus est in pluribus & majoribus subsidiis, ignorationi praeceptorum vitae utilium, errori in iis *statuendis* & *applicandis*, atque languori in iisdem *exequendis*, medendi. *Perfectio* ipsius est *consensus cum scopo, ad quem collineat, posito in sapienti vitae rectione.* Qui consensus quo est

eſt major: eo illa eſt perfectior. Quo illa longius ab eo, ad quem contendit, termino aberrat: eo magis decreſcit ipſius profectio. Nulla eſt, cum fini ſuo repugnat.

§. CCXXXIII. *Primum* itaque ii, qui hoc ſtadium decurrunt, omnem lapidem merito movent, ut nulla alia, niſi *vera*, tradant vitae praecepta, & efficiant, ut ea eſſe vera, *certe* intelligatur. Igitur nihil eſt ſtatuendum, niſi id, quod cum natura, proinde cum felicitate hominis, conſentire, evidenter tradatur. Quamobrem eliminanda ſunt, non *quae difficilia*, ſed quae praeſtari non eſt *poſſibile*, quaeve ſi praeſtentur, vel *emtas majori dolore voluptates*, vel dolores, ſine ulla ſpe probabili majoris oblectationis ex iisdem oriundae, gignerent. Falſa, ut hoc utar, docet *Ethica* non ſolum *laxior*, ſed & *triſtis*, & *ultra fas rigidior*. Haec negans homini, quae concedi ſalva felicitate poſſunt, inflammato dolendi, & diminuto ac fere ad nihilum redacto gaudendi, ſtudio, ut cum illuſtri quodam philoſopho loquar, *exiſtentiam hominis reddit inſipidam*, facitque, ut vitam potius utcunque trahere, quam ea ex voluntate divina frui, liceat.

§. CCXXXIV. *Certa* ut efficiatur naturalium vivendi praeceptorum *cognitio*, & quantum fieri poteſt, non cedat evidentiae *Mathematicae:* partim verborum, quibus uteris, ſignificationes fixae & clare expoſitae ſemper retinendae; partim a dubio, nedum falſo, probationum genere abſtinendum; tandem non eſt ſtandum ſola eorum auctoritate, qui vitae praecepta ſtatuunt, ne quidem illa, quae *conſenſu ſapientum* aut *populorum* nititur (§. 44.). Allegari merentur, qui pleroſque mortales acumine ſuperarunt, non tanquam legislato-

 res,

res, ſed tanquam accurati obſervatores indolis humanae, & teſtes.

§. CCXXXV. Praeſtare autem videtur, ut in probatione praeceptorum vitae incipias a *manuductione ad ſenſum internum attendendum*, & ad *effectus obſervandos*, quorum fidem faciunt ſenſus externi & experientia, ac deſinas in iis, quae a veritatibus primis, illisque petuntur, quae alibi evictae pro indubitatis ſumuntur. Uti *pſychologia*, quam recentiores philoſophi vocant *empiricam*, praecedere ſolet eam, quae *rationalis* dicitur: ita perutile videtur, Ethicam *experimentalem* (ſi vocem *phyſicis* familiarem huc transferre licet) praemitti illi, quae quoniam argumentationes *a priori*, ut ajunt, contexit, *rationalis* appellari posſit. Scire hominis non eſt, ut PLATO putavit, *meminiſſe*, ſed *obſervare*. Huic ſcopo inſervit *hiſtoria*: quae tantum *Ethicae* roboris praeſtat, quantum haec illi reddit lucis & dignitatis. Animus *obſervationibus praeparatus*, facilius *inſtruitur*, & *gaudet confirmari*, ratiociniis. Haec via hunc inſuper fructum pollicetur, ut qui hoc in genere proficere cupiunt, non prius *disputare*, quam *intelligere*, nec *demonſtrare* citius, quam *ſentire*, incipiant, neque tam *loquendi*, quam *agendi*, facilitate imbui laborent.

§. CCXXXVI. *Secundo* nullum vitae regendae principium *foecundum* eſt omittendum. *Foecundum* dico, quod eſt *concluſionum utilium ferax*, & *quo diſtincte cognito mens concluſiones facile eruit* Quare v. c. qui officia ex religione naſcentia vel univerſa vel ex parte omittunt, quive exiguo hujus vitae curriculo felicita-

citatem terminantes, de praeceptis alteri vitae profuturis non cogitant, quive ea, quae in vita negotiosa, & in primis in societate majori, necessaria sunt, praecepta praetereunt, nobiliorem Ethicae partem intactam relinquunt.

§. CCXXXVII. *Tertio*, foecunda conclusionum principia hoc ordine tradi necesse est, ut aliorum ex aliis nascentium series facile & distincte queat perspici. Hac via efficitur, partim ut secundum illa judicium de factis singularibus, bonis aut malis, promtius & certius fieri possit; partim ut multis, quae subtilius quam utilius disputantur, intentio animi non distrahatur. Brevitas ipsa lumen auget. Recte enim dicitur, pro ea ratione, qua cognitio rerum philosophica fiat uberior & lucidior, angustiora fieri disciplinarum volumina. Ita, ut hoc utar, ab eo inde tempore, quo a verbis explicandis ad res intuendas Ethica revocari, inprimis ex quo ad *Mathematicum rigorem* inflecti coepit: & pauciores in disquisitionem veniunt, quos vocant, *casus conscientiae*, & qui veniunt, cum olim viderentur, inexplicabiles, facilius solvuntur.

§. CCXXXVIII. *Quarto*, cum fructus Ethicae non in sola contemplatione veri, sed praecipue *in actione* sit positus: in *bujus* si minus regendae, certe inculcandae, studio egregium praebuere exemplum veteres. Non sufficit, notas boni malique distincte exposuisse, sed in eo quoque elaborandum videtur, ut praecepti cujusque utilitas *sentiri* possit, ut hic *sensus obligationis* (§. 216.) omnem doctrinarum veluti chorum perpetuo comitetur, utque ille paulatim in alteram quasi naturam

turam traductus, vi sua occulta & magna efficiat robur mentis sapientiae plenum & virtutis.

§. CCXXXIX. Concludimus ex dictis, basin, qua Ethicae perfectio (§. 232.) nititur, esse *veritatem* praeceptorum, quae est posita in eorum convenientia cum natura. Hujus illa imaginem refert, ab hac ne latum quidem unguem deflectit, si quid valet. Recte JUVENALIS:

Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.

Augetur *gradus perfectionis*, quo *singula praecepta vera* dilucidius, certius, pressius, & quo copulatius, atque ad movendam voluntatem aptius, *universa* enuntiantur.

§. CCXL. Sublimiorem ea, quam ratio contexit, de officiis doctrinam CHRISTO acceptam referimus. Haec vero non respuit, tamquam cognitu inutilia, neque abjicit, tanquam factu minus necessaria, praecepta vitae naturalia: sed exigit, inculcat, & *majori momentorum numero ac pondere* corroborat. Multo minus admitti potest, utramque doctrinam sibi repugnare. Dignum enim est sapientia divina, ut conspirent. Cum altera Ethica alteri adversari putatur: aut ignorantur verae naturae leges, aut cum doctrinis Christi opiniones interpretum commiscentur. Fuerit diu haec philosophiae pars Theologiae Scholasticae ancilla, &, sero in libertatem restituta, deinceps ejusdem nonnunquam adversaria.[i] Nunquam fuit vera, aut esse potest, cum opponitur religioni. (§. 212.).

SECTIO

SECTIO III.

Concentus universorum hominis officiorum.

§. CCXLI. Summa est *legum naturalium*, adeoque & *officiorum*, quae illis continentur, consensio. Ethica sequitur naturam. (§. 239.) Igitur in enuntiandis & connectendis vitae praeceptionibus id agendum, ne qua earum pugna, neve aliquis conflictus, appareat. Accedit, exceptiones, quae regulis subjiciuntur, harum minuere perspicuitatem, & regulas, quae de solvendo officiorum conflictu tradi solent, plerumque esse difficiles intellectu, & cum in rem praesentem ventum est, difficiliores applicatu.

§. CCXLII. Cui difficultati ut occurratur, operae pretium est, aliquod quasi *punctum visus fixum* requiri: ex quo intima praeceptorum aliorum cum aliis copulatio pervideri possit. Igitur bene merentur de hac vitae disciplina, qui id agunt, ut *enuntiationem* quandam *generalem*, *evidentem*, *veram*, *solo rationis*, & *absque ullo revelationis*, *subsidio cognitam*, inveniant, quae notas certas ac perpetuas officii cujusque naturalis contineat, ad quas, tanquam ad lapidem Lydium, exigi, & ab eo officio, *quod non est natura cognitum*, vel ab *actu naturae legibus adverso*, accurate discerni possit. Primum,

seu

seu fundamentale, dici potest ejusmodi enuntiatum, *quod notam ultimam omnium officiorum naturalium continet*.

§. CCXLIII. Neque vero tot ac tantae de tali principio statuendo concertationes evincunt, id reperiri non posse, aut repertum parum prodesse. Multae id genus controversiae nascuntur a diverso qui voci legum naturalium subjicitur, significatu: multae *a festinatione*, id quod multis capitibus demonstrandis inservit, confundentium cum eo, quod inservit omnibus, vel ea non curantium, sine quibus enuntiatio, *in qua fundamentum ponitur*, cogitari nequit. Hanc qui investigant, id quaerunt, ut appareat, *quando recta ratio intelligat*, obligari hominem ad aliquid faciendum aut omittendum. Et tamen fuere, qui nullum aliud principium generale doctrinarum suarum statuerent, nisi *dictamen rectae rationis*.

§. CCXLIV. Verum quamquam non diffitear, saepe incidere in hoc genere controversias de voce, ut differre putentur, quae re vera conveniunt: tamen non desunt diversae id genus enuntiationes, quae pro *fundamentalibus* haberi solent, quas judices easdem esse, licet valde discrepent. Si dixere veteres, *sequere naturam*; & recentiores inculcant, *perfice te*, non dixerunt idem, licet dixisse videantur. Illi multis partibus plures naturam divinam ab humana non separant: hi immensam utriusque discrepantiam agnoscunt, docent, inculcant, & a natura hominis divinitus constituta ad voluntatem divinam argumentantur. Inter illos non pauci *fato* multum tribuunt; hi nihil. Enunciatio autem, *perfice te*, nihil significat, nisi hoc; sic dirige actiones tuas liberas,

ut

ut cum *natura*, ſive cum *actionibus naturalibus*, conſentiant. In hac harmonia, quam *Parte* I. expoſuimus, recte recentiores ponunt *perfectionem hominis moralem.*

§. CCXLV. Quidam veteres, dum hoc extremum vitae praeceptum poſuere: *fruere voluptatibus, easque auge:* maximopere diſtant abiis, qui nobiscum praecepta naturalia redigunt ad hoc ultimum: *ſtude felicitati.* Illi aut in ſolis, aut praecipue iis, quae *corpore* capiuntur, voluptatibus ſubſiſtunt, aut ſi oblectationibus animo propriis praecipuas partes deferunt, vel ſuum *dolori* pretium non ſtatuunt, vel *egregios religionis fructus* omittunt, vel *ſublimes animi voluptates*, quae ex *harmonia actionum* naſcuntur, negligunt, vel veras gaudendi cauſas exiguo hujus vitae ſpatio terminant. Sed qui ad felicitatis curam revocant omnia: voluptates *veras a falſis*, & illarum *gradus* accuratius diſtingunt, Theologiae naturalis fundamentis innituntur, nec curſum vitae felicis morte finiunt, ſed poſt obitum perpetuari docent, & ex eo concludunt, ſic vivendum eſſe, ut animus corpori ſuperſtes ad altiorem vitae beatae gradum, ab eo, quem in prima vitae periodo adeptus eſt, adſcendere, & bonis a divina providentia ſibi deſtinatis, eo, quem haec praefinivit, ordine, potiri poſſit.

§. CCXLVI. Utraque praeceptio (§. 244. 245.) altera, *perfice te*, altera, *da operam conſequendae & augendae felicitati*, ſive *actiones liberas ſic dirige, ut firmam ſpem continui in felicitate progreſſus fovere poſſis*, non repugnat ſibi, ſed illa huic eſt ſubjecta. Neque enim fieri poteſt, ut ſuae quisquam ſtudeat felicitati, niſi eo enitatur, ut *actiones*

nes suas liberas cum natura sua conformet. At vero qua *nota* diſtinguentur actiones conſentientes cum natura ab iis, quae pugnant? Ex *conſenſu cum finibus Dei*, inquis. Hos vero unde dignoſces? Nonne ex *natura?* (§ 177.) Ne in orbem redeat reſponſio, propius quoddam principium merito requiritur, ex quo, quae actio cum *natura*, proinde cum *felicitate*, conveniat, quaeve pugnet, dijudicari posſit.

§. CCXLVII. Feliciter vivi non poſſe, vidimus, (*Sect.* 3—7.) niſi vires quisque ſuas *conſervare* & *augere*, iisque ita *uti* ſtudeat, ut *bonorum*, ſive in ſe ipſo, ſive extra ſe *exiſtentium*, id eſt, cauſarum, quae veras voluptates gignunt, *ſummam* augeat, diminuat vero multitudinem & efficientiam earum cauſarum, ex quibus veri ſibi aliisque dolores obveniunt, atque horum dolorum magnitudinem & diuturnitatem ſublevare vel tollere conetur. Hoc virium uſu homo gratam erga Deum mentem, & ſe infinitam Dei ſapientiam ac bonitatem ſumme venerari, teſtatur. Ad hanc metam collineant *leges naturae*, proinde & *officia naturalia.* Quamobrem praeceptum generale, ex quo *omnia officia naturalia*, adeoque regulae ſpeciales de actionum bonarum & malarum differentia, deducantur, videtur ſtatui poſſe hoc: *conſerva & auge vires tuas, iisque ita utere, ut tantum boni, quantum potes, efficiendo, voluntati divinae reſpondeas.*

§. CCXLVIII. Admiſſo hoc praecepto, exiſtimamus patere, quam eximius ſit concentus officiorum naturalium, ut quem nulla eorum pugna, nullus conflictus, dividat. Nunquam vera officia erga Deum (*ge-*

ne-

nera actionum liberarum, ad quas ob earum copulationem cum religione (§. 190.) *obligamur*) cum officiis *erga se ipsum & alios* colliduntur, ut cum simul praestari non possint, illa his sint praeponenda. Nam aut non sunt vera erga Deum officia, quae perhibentur, aut si sunt, cum felicitate nostra conglutinantur; (§. 188.) & propterea cum officiis erga se ipsum, (§. 249.) adeoque & cum officiis erga societatem (§. 250.) congruunt. Ne desit exemplum; cum *pacta jurata, dolo elicita, in honorem Dei sine exceptione servanda esse*, a quibusdam affirmatur, non colliduntur *officia erga Deum cum officiis erga se ipsum*, sed error, in vera notione *gloriae divinae* definienda admissus, gignit conflictum opinionum.

§. CCXLIX. Neque *officia hominis erga se ipsum* alia aliis obstant. *Haec* sunt *ea actionum liberarum genera, quibus homo statum suum, seposita cogitatione vinculi, quo cum societate humana, & Deo legislatore suo, continetur, meliorem*, hoc est, *verorum bonorum feraciorem, reddere tenetur*. (§. 56.). Dantur gradus verarum voluptatum, (§. 7.) quarum congerie, dolores, qui interveniunt, superante, componitur felicitas, ergo & *bonorum*. (§. 10.) Qui bona minora praetulisse majoribus arguitur, re vera optionem non fecit inter duo bona, sed inter id, quod *imbecillitatem* effecit, impediendo *conservationem, incrementum, aut rectum usum virium*, & id, quod vires augere ac perficere potuerat, ideoque *unice* bonum erat. Ita officium augendi habilitates corporis non potest in contentionem venire cum officio augendi cultum animi. Corpori enim ita consulendum, ut perficiatur animus &c.

§. CCL. Nec denique colliduntur officia, quae

 sibi

sibi quisque praestare debet, cum iis, quae appellantur *officia erga societatem*. *Haec* sunt *genera actionum liberarum, eo animo suscipiendarum, ut ipsarum effectus aliorum hominum statum meliorem*, id est, *verorum bonorum foecundiorem, reddant*. Cum praecipitur, *plus* aliquando amandos esse alios, quam nosmet ipsos, (§. 166.) re vera amor erga alios, qui superat gradum ejus amoris, quo nos ipsos prosequimur, (§. 96.) neque praescribitur, neque exigi potest. Vitam aliorum nostrae praeponere possumus, felicitatem non possumus. (§. 169.)

§. CCLI. Repudianda est Mandevillii opinatio, existimantis, fugam vitiorum & florem societatis saepe contendere, illis effici, ut huic sit melius. Vitia si sint *vera*, (in qua *notione definienda* fallitur) semper nocent vitiosis, & societati, licet, si solos effectus quosdam vitiorum praesentes, (v. c. *luxus immoderati*) sine respectu causae, ex qua oriuntur, & sine cogitatione effectuum remotiorum, attendas, videri possit, ea societati prodesse.

§. CCLII. Ex iis, quae hactenus disputavimus, concludi potest; summum Numen pro admirabili sapientia sua tam arcte copulasse *tria*, quae vulgo recenseri solent, *officiorum naturalium genera*; ut *ne quidem possis alios homines amare, quin te ames, nec te amare ipsum, nisi Deum adores*.

§. CCLIII. Quartum officiorum genus *erga res inanimatas*, aut *animatas rationis expertes*, statui, necesse non est. Continentur sub *tribus*, quae exposuimus. Sic enim utendum est rebus, quarum possessione & usu Deus breve hoc aevum, quod ho-

homo exigit, jucundius reddi voluit, ut ea possessio, isque usus, prosit & toti societati, & singulis. Omnis itaque rerum extra nos positarum usus, huic consilio divino contrarius, demonstrat animum Dei haud reverentem, dum *Dei dona* flocci facit, punitque male utentem, dum is sibi ipsi nocet. Vastat v. c. agros hostilis exercitus. Qua necat hostes inedia, eadem ipse perit. A petulantia & duritie adversus bruta animantia initium sumit crudelitas; in hominibus excruciandis desinit.

SECTIO IV.

De Officiis erga societatem, & notis, quibus duplex eorum genus internoscitur.

§. CCLIV. Quod *de egregio officiorum universorum* consensu (§. 212.) docuimus: particulatim valet de his, quae hominem homini praestare oportet. Consentiunt *singula Sect.* 4. & 5. exposita, *cum singulis*, & *universa* ad hanc regulam: *nati formatique ad societatem homines, quanto plus boni suis quique viribus aliis conciliaverint, tanto plus ex se quisque ipsis capiunt gaudii, & ex societate vicissim sperare possunt commodi.*

§. CCLV. Magna vero pars hominum contrariam huic viam ingreditur, parum memor, se dum aliis detrahat, suae felicitatis nervos incidere. Non contenti haud prodesse, *damnis* (§. 129.) & *incommodis* (§. 131.) alii alios affi-

ciunt. Quod cum natura evenire nolit; merito quaeritur, quaenam veluti repagula huic malo opposuerit? Sola deformitas facti ignobilis, maligni, crudelis, verbo facti cujuscunque *cum laesione* conjuncti, sola cogitatio mali, quod ex tali consilio in alios in praesens, & in facientem olim, redundat, sola *justitiae divinae* contemplatio, non semper eam vim habent, ut homines a *damnis* inferendis avocent, aut alienis *incommodis* res suas & fortunam haud constituere cogant. Vis, qua sibi aliquis sentit *damnum* (§. 129.) inferri ab iis, quibus damnum dare, aut datum non resarcire, audet, vel metus hujusmodi damni sibi impendentis, nisi abjecerit consilium nocendi, vel ei, cui nocuerit, satisfactionem negandi, *vis* inquam, & *metus*, efficacius movere possunt animos caeteroquin nefaria ausuros, ne noceant.

Quando est utile generi humano, vi metuque officia armari? quando exitiosum? Utile est, cum, nisi eo remedio uti liceret, *quies communis*, quae est societatis humanae basis, (§. 129.) interiret. Perniciosum, cum eadem quies, concessa vim adhibendi licentia, everteretur.

§. CCLVI. Natura itaque ipsa nos ducit *ad divisionem officiorum hominis erga hominem* in *perfecta & imperfecta*; (*plena* seu *minus plena*). *Illa* sunt *officia socialia, ad quae praestanda debitorem ab illo, cui debentur, per vim cogi, secundum leges naturae, quietis tuendae causa, licet.* Haec contra *excludunt coactum*, ob *hujus pugnam cum conservatione communis quietis*, (*securitatis.*). Ad vinculum, quod homini cum Deo intercedit, hanc divisionem non pertinere, facile intelligitur. Ex his definitionibus apparet, aeque interesse *societatis humanae*

(§. 100.)

(§. 100.) ut non omnia officia sint perfecta, ac ne sint nulla. Leges naturae id statuunt & explicant, quod fieri, aut non fieri societatis humanae interest. Ergo hanc officiorum divisionem, generi humano utilem, probant & constituunt.

§. CCLVII. Sola difficultas superest de *notis*, quarum ope de *singulis officiis hominis erga hominem* aestimari possit, ad utrum genus pertineant. Hanc *notam* non praebet *sensus doloris, ex officio quodam, ab aliis neglecto aut violato, in nos redundantis.* Sic, ut grata mente agnoscas beneficia, non es cogendus, etsi multo sit acerbius ei, cui plurimum debes, frigidum te videre, & sibi male cupientem, quam damnum, quod injuria hominis ignoti fecit. Neque iis assentimur, qui hac nota utrumque genus discernunt; ut officium *imperfectum* dicant, *quo praestito alii fiant perfectiores*, & *perfectum*, *quo intermisso* vel *violato reddantur imperfectiores.* Si v. c quisque detrimenti, quod malo aliorum exemplo corruptus fecit, reparationem per vim postulare posset: noti, ignoti, propinqui, familiares, infinitis litibus implicarentur, & saepe fraterno maderent sanguine terrae.

§. CCLVIII. Nobis quidem dicendum videtur, *officia hominis erga hominem omnia esse imperfecta, exceptis duobus generibus.* Horum alterum oritur *ex consensu in coactum*, ubi non steteris conventioni: (§. 130.) alterum versatur *in obligatione abstinendi a violatione vitae & corporis alieni, libertatis, possessionis, absque cujusquam laesione apprehensae, & dominii.* (§. 129.). Utroque casu interest societatis humanae, *vim concedi. Primo casu*, ne fides conventionum corruat, qua sublata, multa &

eximia generi humano commoda subducerentur, quae ex mutua fiducia nascuntur; *posteriore casu*, si non liceret vim adhibere, probo & tranquillo cuique societas foret supplicium, solitudo solatium. Postulat itaque felicitas generis humani, ut *haec duo officiorum genera* sint *perfecta*. Idcirco leges naturae haec a caeteris distinguunt, & vim illorum officiorum violatoribus fieri permittunt, ne laedant, neve negata satisfactione laedere pergant.

§. CCLIX. Reliqua officia socialia (§. 250.) sunt *imperfecta*. Nam 1) quaedam sunt hujusmodi, ut coactus ne quidem possit habere exitum, qui consilio vim adhibentis respondeat. Officium v. c est alterius, *noxios errores demere aliis*, alterius, *meliora docentibus auscultare*. Vis ac minae nunquam seriam persuasionem efficiunt, sed *odium*, ac destinatum consilium id repudiandi, quod pro vero habere juberis. De reliquis 2) observandum, etiamsi coactus posset habere exitum, nempe, ut quod ultro facere debebas, id invitus peragas; tamen eundem prosperum *violentiae* successum plus esse illaturum in societatem mali, quam neglectum officii, quod extorquetur. Hoc posito, si sumas, coactum esse licitum, homines ab arctiori notitia & conjunctione ineunda sibi caverent, metuentes, ne ob violationem aut neglectum qualiscunque officii perpetuis vexationibus exponantur. Hae enim non possent vitari ob difficultatem accurate judicandi, utrum aliquis officio suo defuerit, an secus. Sic lites plerumque inextricabiles sererentur, fines *defensionis*, quam natura permittit, & *ultionis*, quam abominatur, perpetuo confunderentur, rixis, pugnis, damnis, caedibus; nunquam obtentus deesset probabilis.

§. CCLX.

§. CCLX. Certius esse potest judicium *laesi* de violatione *officiorum perfectorum*. Talia facta sunt manifestiora, & excusationes frivolae facilius confutantur. Ex quibus efficitur, ut si leges naturae permittant, vim adhiberi ad damna avertenda, & ad satisfactionem ei, qui damnum dedit, extorquendam, (§. 130.) eaedem prohibeant, vi quemquam uti, quem caeterorum officiorum intermissio offendit. Liceat hominibus esse obstinatis, duris, frigidis, stolide superbis, avaris, injustis, parum religiosis amicitiae cultoribus: satis poenae dant, quod tot tantasque sibi intercipiunt voluptates, quae a sincera, eaque calida, caritate erga alios, ab aliorum mutuo favore, & a gratia apud Deum, proficiscuntur.

§. CCLXI. Actiones cum utroque officiorum genere consentientes appellantur *honestae*. Cumque a natura ita sit provisum, ut honestum nunquam contendere possit cum utili: (§. 166.) apparet, hoc sensu recte dici: *sola bona*, *quae honesta*. Studium concentum actionum suarum cum officiis erga alios servandi, dicitur *honestas*. Felices! qui in hoc studio eo progressi sunt, ut gaudeant prodesse, quantum possunt, omnibus, nocere nemini, non quia lex jubet, sed quia aliter facere non possunt.

SECTIO V.

Justitia.

§. CCLXII. Notioni *officii perfecti*, quam exposuimus, respondet notio *juris proprie dicti:* Tuum est abstinere a damno dando, alteri jus est postulare, ut abstineas, & si nolis, vi vim repellere. Patet, si hoc significatu accipiatur vocabulum *juris*, (habet enim complures) de usu virium naturalium id intelligi, in quo aliquem impediri leges vetant, & ei, qui impeditur, suapte vi, aut in civitatibus per magistratum, se defendere permittunt. Est itaque jus eo, quo inter gentes & in foro intelligitur, sensu, *facultas lege concessa vi utendi adversus eum, qui officia perfecta violat. Facultas*, sive *qualitas moralis perfecta, personae competens, ad aliquid juste possidendum, & agendum*, dicitur H. Grotio. *Factum ab usu juris profectum* dicitur *justum. Factum juri alterius contrarium* vocatur *injuria*, seu *laesio.*

§. CCLXIII. Ex qua definitione perspicitur, esse eosdem *fontes jurium*, atque *officiorum perfectorum.* (§. 258.) Alter est necessitas violentae defensionis, lege naturali concessae, eorum bonorum, quae vel sunt *connata*, vel *facto occupationis licito acquisita.* (§. 130.) Unde nascitur jus triplex 1) *tuendi vitam & corpus*, 2) *libertatem externam*, (§. 142.) 3) *possessionem justam & dominium.* (§. 129.) Alterum genus jurium oritur ex *conventione*, estque varium,

rium, & illis ſolis commune, quorum alter alteri ſe obligavit. Cum J&ti praecipiunt: *ſuum cuique*: voce *ſui complexum jurium* intelligunt. Patet, ſuum hominis cujusque eſſe vel *connatum* vel *acquiſitum*, acquiſitum vero vel *juſte occupatum* vel *translatum*.

§. CCLXIV. Notiones *juris & officii perfecti* arcte cohaerent. Ex hoc indiſſolubili vinculo intelliguntur hae regulae concluſionum foecundiſſimae: *poſito jure alterius, ponitur alterius officium perfectum, & vice converſa.* Sume enim, haec non eſſe univerſe vera. Simul ponetur vis juſta injuriae reſiſtendi, & vis juſta eam inferendi. Haec vero ſibi repugnant. Ergo illae enuntiationes ſunt ſine exceptione verae.

§. CCLXV. Explicata notione *juris & officii perfecti*, facilior eſt expoſitio notionis, quae *juſtitiae* nomine ſignificatur. Latiorem huic voci ſenſum ſubjecit Aristoteles, cum duo ejus genera ſtatuit, alterum *juſtitiae univerſalis*, alterum *particularis.* Intereſt vero ob multos effectus exitioſos, quos vagus loquendi uſus hac in re parit, non fluctuare notionem, ſed accurata definitione exponi. Dicemus itaque, J&tis cum proprie loquuntur, eam eſſe *convenientiam actionum cum legibus, officia perfecta praeſcribentibus.*

§. CCLXVI. Si *actiones internae* cum his legibus conſentiunt; *juſtitia* dicitur *interna*, ſi *externae*, ab his *externa* appellatur. Ad illam, non ad hanc, & ne ad illam quidem aliter, quam ſi ad altiorem gradum adſcenderit, convenit definitio, quam veteres tradunt, ut ſit *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Hoc ſenſu dici

potest, quem sola timiditas impellat, suum ut cuique tribuat, eum *justa* agere, non autem *juste*, quoniam tales actiones non proficiscantur *a momentis nobilibus*. (§. 197.)

§. CCLXVII. Manifestum est ex notione justitiae, vehementer falli CARNEADEM, qui ipsam *stultitiae* nomine infamavit, quanquam cum felicitate generis humani firmo contineatur vinculo. Nam sine ipsa nulla est quies, sine quiete nulla felicitatis per societatem accessio, hac remota tollitur momentum, quo ad societatem colendam invitamur, igitur sublata justitia distrahitur vitae communitas. At vero idemne de singulis affirmari potest, iisque *valentioribus?* His nonne noxius interdum est religiosus justitiae cultus, & fructuosa ejus violatio? Horum quoque interest, a jure nunquam recedere. Ex iis, quae (§. 166.) attulimus, efficimus has conclusiones: *jus violare nec toti societati, nec singulis, unquam prodest:* contra, *nihil est justum, quod non & omnibus & singulis sit utile, pro justo haberi.*

§. CCLXVIII. Neque est, quod objiciatur, haec enuntiata publicis monumentis refelli; saepe ad culmina rerum crescere injustos, justitiam, qua infirmi inter se indigeant, validioribus esse rem minus necessariam, contra, dum resistat cupiditatibus, onus grave & molestum. Damus, humilitatem aut imbecillitatem saepe eos, qui opprimuntur, deterrere, ut hominibus, qui jus habent in viribus positum, resistere non ausint. Sed opes, honores, imperium, quae injuste acquiruntur, non per se bonorum numero sunt, sed quatenus ex earum possessione haud nascuntur *causae verorum dolorum*, qui *ipsa praesenti, quam afferunt, voluptate* fiant acerbiores.

Si

Si posset iisdem, quibus damnum datur, viribus effici, ut animus nullo vindictae, aut similis injuriae ab aliis, quos exemplo malo provocat, inferendae metu, nullo dolore ex conspectu mali aliis illati excrucietur, ut hominem, talium factorum sibi conscium, nunquam sui poeniteat, utque nunquam tristis sentiat, statum moralem suum, ex injustitia ortum, cum voluntate providi hominum patris non consentire: non repugnaverim, quo minus injusti, quibus fortuna favet, felices praedicentur.

§. CCLXIX. Nec meliori successu *contra providentiam* disputant, qui fortunatos injuriarum exitus urgent. Saepe Deus non prohibet, quosdam injusta pati, ne faciant. Nonnunquam, quae sera videtur Numinis vindicta, non est sera, sed gravissima. Rediturus ad frugem, si citius vindicem Dei manum sensisset, impunitus mala malis cumulare pergit. Magna poena fuit, non puniri.

§. CCLXX. Neque de regula (§. 267.) proposita excipimus populos. Ordo felicitatis assequendae perpetuus (§. 31.) idem multis, qui singulis, (§. 29.) a natura constitutus est. Igitur nec vis magnae hominum multitudinis, communi fruentis imperio, unita & conglobata illum ordinem mutare valet. (§. 31.) Neque haec refelluntur fide annalium. Maxime enim eorum eventus attendi debent, a quibus, quoniam ad gubernacula sedent, proprie proficiscitur injuria. (§.268.) Quem fructum ALEXANDER M. quod solidae felicitatis genus ATTILA, *sidera iniqua gentibus,* retulerunt ex prosperis successibus? Nec populus immunis est malorum effectuum injustitiae, ab iis, quibus habenas commisit, fortuna favente,

ad-

admissae aut toleratae. Saepe sentit hos tristes effectus, licet de *causa* non cogitet. Dum nocuit aliis, sibi incautus instrumenta exitii fabricavit.

Orbem pene totum victor Romanus habebat, nec satiatus erat. Debellatur oriens. Accipit leges, inque vicem superbo domitori reddit luxum ac servitutem.

Victus orbis novus statim victorem ulciscitur orbem.

Pro *gloria principis & gentis* singuli cives arma opesque alacriter conferunt, ut fines imperii extendantur. Voti damnati quem fructum colligunt? Ut sint in posterum deteriore conditione, quam qua fuerant, parique illi, quos princeps, omnium dominus, subjugavit.

SECTIO VI

Aequitas.

§. CCLXXI. Vidimus utilitatem generis humani esse *matrem* justi. At enim, inquis, *rigor juris* multum mali parit: & recte dicitur proverbio: *summum jus saepe summa injuria.* Digna est res, quae ulterius dispiciatur. Igitur id agemus, ut *justi* & *aequi* fines regendo, amicam *justitiae* & *aequitatis* consensionem demonstremus.

§. CCLXXII. Interest hominis, animum servare caritate mutua calentem. (§. 103.) Hujus effectus necessarius aliquando est is, ut *jure suo* non utatur. (§. 130.) Dimittet itaque jus suum, ut prosit. *Caritas per intermissum juris usum demonstrata* vocatur *aequitas.* Igitur *aequum esse*, & *suae feli-*

felicitati ſtudere, natura conjunguntur. Diverſus quodammodo, nec tamen ei contrarius, eſt intellectus vocis, cum de *aequitate latoris & interpretis legum* agitur.

§. CCLXXIII. Apparet ex definitione, non poſſe quenquam, qui *aequum* petit, *jure poſtulare*, ut ſibi quod petit, impertiatur, quia vim adhibere non licet, ſi negetur. Erat peculiari opus vocabulo, *facultatem* denotante, quae reſponderet *officio imperfecto*. Minus commode Grotius vocem *meriti & aptitudinis* adhibuit. Invaluit, ut facultas petendi id, quod alter alteri ultro praeſtare, multo minus negare petenti, *minus plene* obligatur, nomine *juris imperfecti* deſignetur.

§. CCLXXIV. Eadem itaque ſunt momenta, quibus ad *aequitatis ſtudium* impellimur, atque illa, quibus ad quaſcunque actiones, a mutua benevolentia proficiſcentes, incitamur. *Pudor, jucunditas ex facto, reverentia Dei* &c. (§. 102. ſeqq. 177.) Eadem ſunt communia *juſtitiae*. Unum haec habet amplius ſibi proprium, *metum coactus*.

§. CCLXXV. Quaeſtio, *quando exigit caritas, ut in aliorum utilitatem ab uſu juris noſtri abſtineamus, idque faciamus, quod alteri prodeſt?* habet hanc ſententiam: *quando eſt cum felicitate generis humani, proinde & noſtra, conjunctum, ut faciamus, quod absque metu coactus poterat omitti, & quod, quoniam non erat injurioſum, facere licebat?* Implicati ſocietati humanae, tanquam pars toti, non conſideremus, quid nobis in praeſens ſit gratum, ſed quid a quocunque fieri, qui in eadem, qua nos ſumus, conditione eſt poſitus, toti ſocietati commodum ſit futurum;

rum; certoque habeamus persuasum, id si nos faciamus, fore idem nobis, si minus statim jucundum, certe, secundum ordinem rerum naturalem, olim utile. (§. 166.) Minus enim erroris periculum incurrunt, qui in tali disquisitione causam suam spectant judices, ut alienam.

§. CCLXXVI. Uti complures sunt *caritatis gradus*, ita & *aequitatis*. Quo majus est detrimentum, quod alteri ab usu juris tui instat, quo plures sunt, ad quos istius detrimenti effectus serpit, quo clarius is effectus a te praevideri potest, quo levior est jactura, quam juri tuo non insistens facis, seu nullum, seu valde transitorium doloris sensum tibi minetur, aut facile reparari possit: quo lucidius haec jacturae levitas tibi ponitur ob oculos: eo aequior est petitio, ne jure tuo utaris, & eo iniquior est morositas, pervicacia, aut aviditas, negantis. Nunquamne jacturae, eaeque acerbissimae, & difficulter reparabiles, in aliorum hominum commodum fient? Omnino. Id vero non pertinet ad *aequitatem*; sed id facere, nobilis & alti est animi: de quo (§. 130. 139.) egimus.

§. CCLXXVII. En, inquis, *si minus pugnam, certe conflictum legum*, siquidem eadem lex, quae praescribit sanctitatem jurium, prohibet horum usum. Cum lex naturae explicat copulationem aequitatis cum felicitate humana, addit, non oportere quemquam cogi, ut sit aequus, sed tali coactu admisso, plus mali generi humano obventurum, quam ex durissima iniquitate. Igitur leges: *justus esto*, ne cogaris officia perfecta facere, & illa: *sis ultro aequus*, quamvis, ut sis, te cogere liceat nemini:
sibi

ſibi non *repugnant*, neque *colliduntur*, quia ſimul utrique ſatisfieri poteſt.

§. CCLXXVIII. Ne qua pugnae colliſusve ſpecies oriatur, caute utendum hoc argumentandi genere: *hoc te facere oportet*, *ergo id jure facis.* Quale enim intelligatur obligationis genus, num id, quod ſibi quisque debet, an quod aliis, num *plene* an *minus plene*, anceps eſt. Si de *officio perfecto* intelligatur: univerſe vera eſt conclusio, ſin ſecus, involucrum errori praebere poſſet. Id v. c. tibi debes, ut magna vitae tuae incommoda depellas; idque tibi debent alii, ut hoc conſilium, conceſſo rerum ſuarum, quo indiges, *uſu, ſibi innoxio*, adjuvent. Neque vero tibi jus eſſe videtur, compellere invitos, ad id faciendum aut patiendum, *quod tibi prodeſt*, & *ipſis non nocet.*

§. CCLXXIX. Hactenus de *aequitatis*, quatenus haec a *juſtitia* diſtinguitur, (*Latini* enim non ſemper diſtinguunt) *prima parte* diximus, per quam aliquis, dum de jure ſuo decedit, alterique debitum, ſive officium aliquod, remittit, ſe eidem *quaſi aequat*. Sequitur *pars aequitatis altera*, cujus notionem prior aperit. Nempe & eos vulgo appellamus *aequos*, qui in *judiciis* de aliorum actionibus, in *gratificationibus ſuis*, verbo, cum *officia minus plena* praeſtant, *aequabilitatem*, hoc eſt, *proportionem* inter plures, quibus ea debentur, ſervant, ac quantum quisque meretur, tantum ei largiuntur; & ſic homines hominibus, licet multis ceteroqui intervallis diſtent, hoc in genere *coaequant.* Quamobrem intellecta hoc ſenſu aequitas nihil eſt, niſi *ſtudium judicia & auxilia ſua voluntaria*, (h. e.

(h. e. nulli coactui subjecta) *meritis alienis attemperandi.*

§. CCLXXX. Hoc quoque aequitatis genus cum felicitate generis humani arcte colligatur. Regnet ea in judiciis, quae de factis & meritis alienis feruntur, & in gratificationibus: firmior erit inter homines & cives concordia, mala, quae livor gignit, avertentur, obtusiores erunt ad tempus per inania placendi, & acriores de societate vere merendi, stimuli.

SECTIO VII.

Imputatio actionum moralium.

§. CCLXXXI. Hactenus declaravimus legum naturalium praescripta de *actionibus regendis*: supersunt ea, quae de *factis singularibus dijudicandis* praecipiunt. Doctrina de hac dijudicatione, quae vulgo *imputationis* nomine venit, diligentius tractari meretur. Interest hominis, hac in re certis insistere vestigiis: tum ut de se ipso judex *statum suum futurum moralem* (hoc est statum suum, *qui ex rectione actionum liberarum nascitur*) sapienter ordinet, tum in *dijudicandis factis alienis* fallatur. Ejusmodi enim error, dum falsas gignit observationes, falsas parit vivendi regulas, noxiasque *imitationes*, & consilia, quae cum a *justitia & aequitate* maxime deflectunt, & plurimum nocent, aequissima judicantur.

§. CCLXXXII.

§. CCLXXXII. Cum de facto, num *consentiat cum regulis*, *an pugnet*, judicandum est, patet, duo judicanti nota esse oportere, 1) facti auctorem, 2) hujus auctoris obligationem ad id factum peragendum, aut non peragendum, de quo judicatur. Ex quo duplex nascitur *imputationis* significatus. Altera dicitur *physica*, seu *judicium*, *quo aliquis declaratur auctor actionis cujusdam liberae singularis*, sive *facti*. Cum ad hanc *physicam* accedit altera; quae relationem ejusdem facti ad obligationem facientis enunciat: hoc *judicium de facti bonitate*, *aut pravitate* (*consensu aut pugna cum obligatione*, proinde, *lege aliqua obligationem continente*) dicitur *imputatio moralis*. *Moralitas* enim, quam vocant *Scholastici*, nihil est, nisi ea actionis liberae qualitas, per quam fit, ut explicari possit, num sit *conformis obligationi*, an secus. Breviter definiri potest, ut sit *relatio actionis liberae ad legem*, *cum felicitate agentis connexam*.

. CCLXXXIII. Postquam judicatum est de *auctore facti*, *hujusque ad legem habitu:* (§. 282.) aliquando is, qui judicavit, ultra progreditur, facitque, ut actionem alterius, quam judicavit cum lege convenire, *bona*, vel cum illa pugnare, *mala quaedam* sequantur: aliquando in contemplatione convenientiae illius aut pugnae ita subsistit, ut nullus alius judicii, quod de factis alienis fecit, effectus sequatur, nisi vel comprobatio, vel vituperatio actionis, & vel benevolentia, vel refrigeratus aut sublatus favor erga agentem. Prior *imputatio moralis* (qualis v. c. proficiscitur a magistratibus) dicitur *efficiens*; posterior *inefficax*.

§. CCLXXXIV. Ex definitione *imputationis moralis* colligimus, (1 facta, sive actiones liberas, esse oportere, quae imputentur; 2) eorum notum esse auctorem, cui cum suis effectis imputentur; 3) obligationem existere, ex qua recte, an secus, id factum se habeat, aestimetur. 1) Facta ponit *imputationis* notio; ergo tales actiones, quae vel entis finiti intelligentis, vel naturae humanae, vires divinitus constitutas non superent. Omnis actio a libertate pendens imputari potest. Haec vero est hujusmodi, ut ejus effectus bonos malosque praevidere, & huic cognitioni convenienter vires suas ad agendum dirigere, in hominis potestate fuerit. Sola difficultas, id inter duo proposita eligendi, quod in praesens valde est acerbum, quamvis vere cum felicitate connexum, ideoque obligationi sit conveniens, (v. c. quod indoli nativae, vel propensioni dominanti, adversatur) non tollit imputationem, quia non tollit obligationem.

§. CCLXXXV. Notio *imputationis moralis* 2) ponit, *esse*, & *apparere auctorem*, hoc est *causam efficientem libere agentem*, cui effectus actionis cujusdam *proprio significatu* imputari dicuntur. Actiones itaque alienae huc non pertinent: nisi quatenus considerantur, tanquam ejus *propriae*, cui factum alienum cum suis effectis, tanquam causae, tribuitur, quique ob id ipsum laude aut vituperatione, odio aut favore, praemio poenave, dignus judicatur. Aliud est, effectum actionis alienae ad alios ejusdem haud consortes extendi, aliud, his id imputari, quod neque simul facere, neque quo minus fieret impedire, potuerunt.

§. CCLXXXVI. 3) Nunquam locus est imputatio-

tioni morali, nisi is, cui actio quaedam attribuitur, obligatus fuerit ad agendum, aut non agendum. Si per se possibilis quidem sit inclinatio animi in utramvis partem, sed necessitas ex duobus eligendi alterum statum, tanquam cum felicitate conjunctiorem, ab homine cognosci nequeat: nulla est obligatio, (§. 215.) proinde nec imputatio. Quod si vero inopia virium cognoscendi hanc colligationem actionis cum felicitate agentis, non sit *absoluta*, sed pendeat *a conditione*, quam removere sit positum in hominis viribus: locus obligationi, ergo imputationi, esse potest. Hinc quid sentiendum sit de actionibus, quae ab *ignorantia legum naturalium* proficiscuntur, aestimari potest.

§. CCLXXXVII. Ex eodem efficitur; solum propositum contra legem non agendi, haud excusare id decretum animi, quod cum lege pugnat: modo vires cognoscendi non defuerint agenti, ne vel in lege ipsa, vel in facto, de quo secundum legem judicavit, erraret. Nam si ejus culpa acciderit, ut regulam agendi pro vera sumeret, quae falsa erat, vel ut effectus actionis, de qua deliberavit, alios fore existimaret, quam secundum regulas probabilitatis putare debuerat: id egit, quod, secundum leges recte vivendi, fieri non oportebat. Ergo effectus actionis, non quidem a malo proposito, sed tamen ab incuria, quam vitare potuerat, & debuerat, profectae, ipsi, ejus auctori, imputari poterit.

§. CCLXXXVIII. Qua in re hae regulae te-

nendae: omnes effectus actionis, quam quis malam, seu legi adversam, esse novit, & tamen suscipit, seu eos praeviderit, seu non praeviderit, agenti imputari possunt. Contra si actio *per se* sit bona, sed utrum in praesens sit suscipienda, ex effectibus sit aestimandum, quos quis non habeat in potestate: non possunt effectus, voto & consilio agentis contrarii, huic imputari, dummodo, *probabilitate spei ad calculos revocata*, recte concluserit, potius agendum esse, quam non agendum. Caveas itaque, ne ab *eventu* facta notanda putes.

§. CCLXXXIX. Cum aliquando obligemur ad alios excitandos, ut agant, vel ad eos adjuvandos, nonnunquam ad alios non adjuvandos, sed ad impediendos, quo minus agant: ex modo & gradu hujus obligationis depromendae sunt regulae de *imputatione actionum alienarum*. (§. 283.) Nam actiones quaeque liberae nascuntur ex momentis menti praesentibus eo tempore, quo decretum agendi facit. His animus in alteram partem inclinatur, & impetum actuosum a se ipso sumens, moveri pergit, donec id, quod efficere decrevit, peregerit. Quare is, qui alteri, nihil tale, aut leviter & frigide, cogitanti, *momenta ad agendum* suggerit, quive momenta, quibus animus alienus ad aliquid decernendum, aut ad destinata perficienda, ultro impellitur, non labefactat, aut convellit, cum & posset & deberet: is *vel facto, vel non facto suo*, alienae actionis fit particeps: ideoque hujus *effectus* ipsi pro parte merito attribuuntur. Hoc numero sunt *suasores*, *impulsores*, *laudatores*, *consilii alieni*, *jubentes*, *quive dissensum suum*, *indignationem*, &

& propositum viribus suis facto alieno intercedendi non significantes, alterius conatum excitarunt, ejusve impetum foverunt, auxerunt, aut ejus executionem non sufflaminarunt. Actio itaque aliena est utrique, tanquam *causae conjunctim efficienti*, communis; alteri *proximae*, quae factum peregit, alteri *remotae*, seu, ut vulgo vocatur, *morali*: Haec quia alterius propositum genuit, aut confirmavit, causa socia extitit *decretorum alienorum, aut prospera eorum executionis.* Qui *ratam habet actionem alterius*, postquam *consummata* est; ei haec non aliter imputatur, quam si approbatione sua fecerit, ut illius actionis mali effectus non tollantur, ad quorum cessationem efficiendam erat obligatus.

§. CCXC. Uti plura uno sunt obligationum genera, ita & imputationis. Vidimus (§.256.) quantum *officia perfecta* distent *ab imperfectis*, caeterisque, quae sibi quisque praestare oportet. Proinde accidere potest, ut eadem actio non imputetur tanquam injusta, seu in alios injuriosa, quae quoniam multa mala agenti & societati affert, valde est reprehendenda. Sic, ut hoc utar, si sumas, potestatem leges ferendi humanam ex uno fonte nasci, *conventione*: consequens est, ut hac deficiente vel sublata, leges, quae feruntur, sint injuriae, utut his tegendis venerabile majestatis & legum nomen praetendatur. Igitur nullam vim obligandi habent; & injustus est, qui ad eas servandas adhibetur, coactus, injusta poena, quae iis, qui non paruerunt, infligitur. Aliter de contumacia obtemperare recusantium sentiendum est, si ea ad illas leges naturales exigatur, quae sua & aliorum causa

leviora mala tolerari jubent, cum, praeter patientiam & obsequium, nullum suppetit remedium, graviora effugiendi. Tum enim idem firmum *non obediendi propositum*, justum licet, reprobari meretur, quatenus est exitiosum.

§. CCXCI. In duas actiones similes, ab eodem homine, vel a diversis profectas, non semper idem imputationis gradus convenit. STOICORUM doctrinam, qui quaevis recte aut male facta judicarunt paria, merito repudiarunt JCti veteres, ut quae non magis legislatori & judiciis, quam vitae communi, conveniat. Aliam actionem moralem alia esse deteriorem aut meliorem, diversi *effectus* evincunt, & *momenta*, ex quibus profluxerunt. Effectus v. c. vitii cujusdam sunt pejores pro ratione *multitudinis suae*, *fecunditatis*, (dum seriem malorum aliorum ex aliis nascentium gignunt) & *stabilitatis*, ob difficultatem reparationis: prout nempe magis minusve animum reddunt proclivem, ad similes majoresque aberrationes in posterum audendas; aut nocent corpori & bonis, quae ad *statum externum perficiendum* pertinent; vel prout *plurium* aut *pauciorum hominum animo*, *corpori*, aut *statui externo*; detrimentum afferunt. Momentorum insuper nobilitate aut minori pretio, promta vi aut segni impulsu, graviori aut leviori irritamenti oppositi repulsu, actionum major minorque praestantia discernitur; multumque refert, num ab impetu bono repentino, an a constantia recte sentiendi proficiscatur actio, & a robore mentis, quod virtuti inest.

§. CCXCII. Imputatio *moralis* accurate enuntiat

tiat *gradum boni & mali*, quod in *actione singulari* inest. (§. 291.) Igitur actio *non solum per se* consideranda est, sed *simul status agentis*; & ex magnitudine cum *obligationis*, tum, qua is agens erat instructus, *libertatis*, aestimari oportet bonitatem aut pravitatem actionis. v. c. Male egit aliquis. Quo plures, quo graviores, quo stabiliores actionis suae effectus, & quo probabilius aut certius, ac quo facilius, praevidere potuit: quo plus habuit virium, animum suum ita formandi, ut praemeditatio eorum effectuum non distraheretur pondere momentorum oppositorum, sed ut haec cogitatio manente claritate sua, (quae claritas per se semper est actuosa & vivax) irritamentorum, quae in contrarias partes animum pellunt, efficaciam & celerius frangeret, & constantius mentem *ad destinata perficienda* flecteret: eo magis actio ipsi imputari potest. Ex hujus mensurae intellectu hi fructus capiuntur; ne quis in se ipso cognoscendo, aut dijudicando perniciose erret, neve in judiciis de actibus alienis lubrica sint fundamenta laudis, & vituperationis, fiduciae, & diffidentiae, spei, aut timoris. Ope hujus dimensionis fieri potest, ut in *vita communi*, in *judiciis*, in *legibus sanciendis*, in *administratione imperii*, *regnent justitia*, & *aequitas*.

§. CCXCIII. Est *quoddam argumentandi genus* imputatio. Majorem enuntiationem *lex*, minorem *factum*, judicium *de habitu facti ad legem*, seu de *illius cum hac consensu aut pugna*, absolvit *conclusionem*. Quomodo fieri possit, ut haec conclusio sit *vera*, aut *falsa*, *certa* aut *incerta*, *magis* aut *minus probabilis*, *dubia*; cuivis, cui nota

est *doctrina de argumentationibus*, facile patet. Huc quoque pertinent remedia, quibus utendum esse, si quis conclusiones suas ex dubiis probabiles, ex his, si fieri potest, certas, efficere cupiat, ea docet *disciplina*: quae, ut *viam veri inveniendi*, *discernendi*, & *distincte enuntiandi* explicet, reperta est. Speciatim de *ambiguo* alienas actiones dijudicare volentis *animo* tenendum: semper illum propensiorem esse oportere ad eam conclusionem praeponendam, quae *faveat innocentiae*, quaeve benignitati maxime conveniat, non autem eam, quae damnet, quaeve benevolentiam, fiduciam, & ardorem aliis inserviendi refrigeret. (§. 102.)

§. CCXCIV. Vel suas sibi aliquis imputat actiones, vel de alienis judicat. *Argumentatio de consensu aut pugna actionum propriarum cum legibus* appellatur *Conscientia.* Hic enim est alter significatus, qui huic voci vulgo subjicitur, praeter eum, quem (§. 53.) indicavimus. Ex hac definitione cognoscitur, easdem conscientiae, atque *imputationis moralis*, (§. 293.) esse divisiones. Si conclusio hujus argumentationis enuntiat *consensum actionis nostrae cum lege, ad quam exigitur*, vocatur *bona*, sin secus, *mala.* Si praecedit factum, *antecedens* appellatur, si comitatur, *comitans*, si sequitur, *consequens.* *Conscientia*, quam *cauteriatam* dicunt, est potius *defectus conscientiae.* Denotat enim animum inepte securum, ab actionibus suis examinandis abstinentem, ideoque causas malorum suorum ignorantem.

§. CCXCV.

§. CCXCV. Si *ambigas*, *recte an secus se habeat actio*, *quae proponitur*: *status praesens continuandus est*, quia nulla est ratio praeponderans eum mutandi, donec in alterutram partem probabilioribus argumentis flectaris. Haec vero non sola praebere debet *auctoritas hominum*, sed rationum, quibus illi nituntur, perspicientia.

Errare potest conscientia in *cognitione* vel *facti*, vel *legis*. Aut id egit aliquis, quod cum facere non deberet, a se fieri oportere, putavit; aut non egit. Si quod, quo se obligari putavit, officium intermisit; *malos* quidem *effectus* vitavit, quos eadem actio, si consummata fuisset, secundum naturae ordinem habitura erat, sed *animum* demonstravit *levem*, *corruptum*, *quaelibet commoda opinata officio praeponentem*. Si secundum animi persuasionem id egit, quod omitti oportuerat: & malorum, actionem consequentium, auctor est, & sibi ea, tanquam auctori, contra officium agenti, exprobrare debet, *quatenus error vinci potuit*. Nam licet a *dolo*, seu a *proposito contra legem agendi*, abfuerit; tamen *culpa* non vacat. (§. 287.)

§. CCXCVI. Si error hominis, secundum suam de officio opinionem agentis, *societati* vere sit noxius, haec quid faciet? Feretne malum sibi a socio instans, aut illatum? an resistet? Demet homini errorem, si potest; sin secus; intra *necessariae defensionis terminos* (§. 130.) se continebit. In ea societate, in qua *punire* licet, quia socii se *juri puniendi* subjicere potuerunt, & subjecerunt, in illa, inquam, universitate *poenis* effectui erroris, quo societatis fundamenta convelluntur, resistere licet. Quae poenae sunt constituendae *pro ratione* cum *damni in to-*

tum coetum redundaturi, *nisi resistatur*, tum *culpae in eo admissae*, quod sibi is, qui punitur, ab errore, vel certe *ab actibus externis errori vincibili consentaneis*, non caverit. Rabiose agit *fanaticus*. Principem, qui secum de religione haud consentit, de medio tollere, facinus putat sublime, *gloria* & *remuneratione aeterna* dignum. Facile poterat se ipsum convincere erroris, dum pactum, quod cum societate fecerat, consideraret. Haec si displiceret, integrum ipsi erat, discedere. Furit tamen, & principem necat. Coetus, cui adscriptus erat, suum judicium, necessitate nunc exigente, opponit judicio hominis, fundamenta, quibus nititur, concutientis; & poenis inflictis terret alios, ne simile in posterum tentent tam execrabile nefas.

SECTIO VIII.

Jus Naturae, ejusque partes.

§. CCXCVII. Actiones, quae imputantur, alias esse *justas* vidimus, alias non *quidem injustas*, sed *officio* tamen contrarias. (§. 256.) Justas separatim tractari, & leges iis a natura constitutas seorsim colligi, tanto est utilius; quanto privatis & populis exitiosior est error, cum fines justi & aequi confunduntur. Ob hanc causam distingui coepit *Jus Naturae* a *caeteris philosophiae moralis partibus*, non quasi secum pugnent, aut non plenissime conveniant, quae

quae utraque disciplina continentur, sed quod, quae natura *effectis* & *momentis* distinguit, ea & a philosophis, naturam magistram sequentibus, discerni, generis humani interest.

§. CCXCVIII. De *disciplina virtutis*, vel dicam, *assequendae per virtutem felicitatis*, quae vocatur *Ethica*, plenius egimus. (§. 231. *seqq.*). Uti haec *colligationem*, vel, ut *ad doctrinas nostras accommodatius* loquar, *originem legum naturalium ex ordine felicitatis, hominum generi divinitus destinatae*, distincte exponit: ita *Jus Naturae* recte definitur, ut sit *complexus legum naturalium de juribus & officiis hominum perfectis.* (§. 286.) Partem duntaxat horum jurium complectitur definitio, quam affert ULPIANUS, cum *jus* esse dicit, *quod natura omnia animalia docuit:* ne dicam, a *convenientia instinctuum hominis naturalium cum stimulis brutorum*, caute concludendum videri. Haec conclusio cum *Stoicorum disciplinae* esse consentanea, inter ICtos evaluit.

§. CCXCIX. Si *Juris Naturae* appellatio *disciplinam* significet: haec erit, *quae jura & officia naturalia perfecta distincte tradit*: vel si mavis, disciplina erit, quae *originem & complexum jurium atque officiorum naturalium perfectorum ex quiete societatis humanae colligit, ac demonstrat.* Legum naturalium *partem* complectitur. Igitur quicquid de harum affectionibus *universe* asseruimus, (§. 220. *seqq.*) ad jus naturae aeque pertinet.

§. CCC. Si quaeratur enuntiatio prima, *in qua legum ad Jus Naturae pertinentium fundamentum ponatur*, (§. 242.) hanc putamus asseri posse: *sic*

dirige

dirige actiones tuas liberas, ut cum quiete generis humani consentiant. Ex hac colligimus haec axiomata: 1) *quicquid tranquillitatem societatis humanae turbat, id prohibetur Jure Naturali;* 2) *id, quod eam non perturbat, Jure Naturae permissum censetur:* 3) *cujus facti intermissio quietem generis humani convelleret, id factum Jure Naturae praecipitur.* (§. 229.)

§. CCCI. Apparet ex his, vinculo quam arcto *Ethicae philosophicae firmitas*, & *cognitio*, cum *Juris Naturalis fundamentis*, & *intelligentia*, conjungantur. Verum patet simul, quibus notis distinguantur. Illa totum *felicitatis humanae* orbem prosequitur, quatenus *experientia & ratio* viam monstrant: hoc partem illius, in *quiete* positam, separatim tractat: illa animum *sanare* conatur: hoc efficere, ne *actus externi* hominum hominibus noceant: illa effectus *remotos* quoque *malae actionis*, quos quemque praemeditari oportuerat, tanquam *certos, probabiles*, aut *possibiles*, imputat (§.288.): hoc proximos. Illa momentis jucundis animum ad virtutem flectit: hoc terret injusta molientem, atque primum innocentiae praemium ponit in vacuitate metus, ne, si ultro nolis, invitus officium facere compellaris. (§. 274.)

§. CCCII. Partes Juris Naturalis sunt *duae:* altera, *suum cum homine natum*, altera, *suum acquisitum* complectitur. (§. 263.) Cum omnium hominum natura sit aequalis, & pari felicitatis suae appetitu naturali ferantur universi: sequitur, *aequalia* omnium *esse jura connata.* Inaequalitas jurium, quibus distinguuntur homines, praeter eam, quae a *justa* nascitur *occupatio-*

tione, (§. 263.) proficiſcitur vel a *pactis*, vel a *factis illicitis cum laesione conjunctis.* Quae a *pactis* venit inaequalitas, tanta eſt, quantam potuere velle, & voluere qui paciſcuntur. (§. 304.) Si a factis illicitis oritur; finitur, & redit aequalitas, quam primum is, cui inſtat aut illata eſt injuria, vi adhibita eam amovit, vel effecit, ut, reſtitutione aut ſatisfactione impetrata, ceſſaret. Prohibet itaque natura omnes *poenas humanas*, in quarum ſibi infligendarum poteſtatem is non conſenſit, qui punitur. Conſentiunt vero cives.

§. CCCIII. Ex his apparet, quantum abſint a vero, qui *jus cujusque naturale in viribus* ponunt, & negant eſſe jus, priusquam *pactis* conſtituatur, quae infirmiores faciant cum validioribus. Jus illud *omnium in omnia*, quod ſumſit Hobbesius, quodque non alios habet terminos, niſi cujusque, eo ſe indigere putantis, libidinem, male ab *aequalitate naturali* ducitur. Non cujusvis enim arbitrio reliquit natura, quid ſibi conveniat, definire: ſed legibus immotis terminavit, quid ſocietati humanae, proinde cuivis ejus ſocio, expediat. Cumque interſit omnium, ſancta eſſe jura, quae ad *ſuum* cujusque retulimus: (§. 263. 267.) ſingulis natura *aequalem* conceſſit facultatem, haec *jura vi & armis tuendi*, aliis autem *aequale* impoſuit officium, vel abſtinendi a laeſione, vel patiendi, ut is, qui laeſus eſt, recuperationem, aut ſatisfactionem debitam, negatamque, ſibi ipſi per vim praeſtet. (§. 264.)

§. CCCIV. Oſtendimus, (§. 299.) *Juris Naturalis orbe* cum *jura hominibus univerſis communia*, tum *officia perfecta naturalia*, contineri. Illorum complexus *Juris Naturalis permittentis*, hic *praecipientis*, nomine

ne venire solet. Cum vulgo traditur, *Jus Naturae praecipiens mutari non posse, permittens posse*, haec enuntiatio hanc habet sententiam; non posse quenquam se ipsum solvere perfecto officio, sed liberationem demum obtineri posse, si is, cujus interest urgere, ut illud praestetur, consentiat, ac consentire possit, ut non praestetur. Quis consentire possit? redit ad hanc quaestionem, *quae jura abdicare, cuique secundum leges naturales liceat?* Licet vero; quoties talis abdicatio non est e diametro opposita fini, ob quem natura distinxit jura hominum, & per datam vi utendi potestatem munivit. (§.258. 259.) Is finis est positus in generis humani felicitate. Salva hac, dimittere jus cuique suum licet, eo effectu, ut ex jure pleno efficiat minus plenum, & officium, quo obstringitur, imperfectum transmutet in perfectum: quoties *coactus potest habere exitum*, (§.259.) & quoties decedit *de jure suo acquisito*. Firma autem abdicatio *juris cum homine nati* (§. 263.), corpus ac libertatem tuendi, tum demum convenit naturae legibus, plenumque effectum habet, cum fieri potest, ut usum societati praestet, non autem, cum quis, sine ullo hujus fructu, malitioso alterius arbitrio, & saevae impotentiae, se obnoxium tradit.

SECTIO

SECTIO IX.

Jurisprudentia naturalis, ejusque perfectio & usus in studio Juris Gentium, publici, privati, & in scientia legum ferendarum, & disciplina prudentiae civilis.

§. CCCV. Quantum distet, nosse leges vivendi, & secundum eas recte judicare; ex doctrina de imputatione patet. Facta, & instituta ab arte profecta, alia aliis aegrius ad regulas quaeque suas revocantur. Fraus insuper & imperitia faciunt, ut *probationes factorum*, quae in controversiam vocantur, exquirere, eorumque pondus secundum *regulas probabilitatis* metiri, non parum habeat difficultatis. Acumen nativum haec pervidendi, & nusquam offendendi, paucis contingit; *meditatione* id demum & *exercitatione* a plerisque acquiritur, iisdem vero remediis *perficitur* ab omnibus. *Habitus, secundum doctrinas Juris Naturalis distincte cognitas, factorum justitiam & injustitiam vere dijudicandi*, appellatur *jurisprudentia naturalis.*

§. CCCVI. *Veritas* itaque judiciorum de factis singularibus, & *facilitas* ea faciendi, est fundamentum perfectionis, quae in hoc prudentiae genere quaeritur. Hujus scopus est, partim suas actiones regere, partim alienas, vel certe, quid alios

alios pati, facere, aut non facere, ac praeſtare oporteat, in re praeſenti accurate definire. In hac perfectione augenda progreſſus gradatim fieri poſſunt. Quo uberiori & clariori mens imbuta eſt praeceptorum, Juris Naturalis orbem abſolventium, cognitione, quo majorem illa factorum perplexorum multitudinem ad eas doctrinas exigere, quo verius & certius, ac quo promtius, de iis judicare valet: eo perfectiori pollet prudentia Juris Naturalis.

§. CCCVII. Ad hanc prudentiam comparandam, cum diſtincta & ſolida Juris Naturalis, Ethica nitentis, intelligentia, ea conjungi neceſſe eſt ſubſidia, quibus *judicium* acuitur, & *praeſentia animi* augetur.

Judicium exacuitur factorum plurimorum, quae in vita communi, in foro, inter populos, in disquiſitionem veniunt, diligenti cum legibus naturalibus collatione. Qua in re magno uſui eſſe poteſt conſortium cum viris, qui in negotiorum publicorum luce vivunt, & eorum, quae hi ſcripſerunt, ſolers lectio.

Praeſentia animi conſervari aut augeri nequit, niſi removeantur ea, quibus mens diſtrahi, & a vero quaeſtionis cujusque cardine reperiendo, & fixe conſiderando, ſevocari poteſt. Huc pertinent nimia feſtinationis cupiditas, praejudicatae opiniones, concitatiores animi motus, orti ab arrogantia, quod ſemel dictum ſcriptumve eſt, emendare recuſante, a gratia, ab odio, ab invidia, a metu, ab indole nativa. In primis haec prout ad lenitatem aut ſeveritatem eſt proclivior, ita, niſi *ratio* impetum cohibeat, vel jus evertit opinata quadam aequitate, vel excutit animo

animo cogitationem, *summum*, ut veteres ajunt, *jus esse summam crucem*.

§. CCCVIII. Quantum intersit, in hac prudentia comparanda operam poni, apparet ex damnis, quae ipsius neglectum consequuntur. Haec in vita quotidiana sunt gravissima, cum fines justi & aequi confunduntur.

In primis in studio caeterarum *legum divinarum & humanarum* necessaria est legum naturae cognitio. In *juris divini* explicatu, ad multa officia, quae finguntur, expungenda, & alia, quae officiorum numero temere eximuntur, restituenda & corroboranda, ad *vera Ecclesiae jura* & *officia* dignoscenda, plurimum refert, naturam, voluntatis divinae quoque interpretem, consuli.

§. CCCIX. Reliqua jurium, quibus populi & privati utuntur, genera Juris Naturalis doctrinis, tanquam firma basi, pariter nituntur. Sunt vero vel gentibus communia, vel uni genti propria. Illa *Juris Gentium*, haec *Juris Civilis*, nomine appellantur. Jus Gentium vel jura & officia perfecta, populis omnibus communia, complectitur, vel ea, quae quidam populi communi consensu sibi constituerunt. Illa *Juris Gentium naturalis*, (*aeterni*, *primarii*) haec *voluntarii* (*positivi*, *secundarii*) nomine designantur. Quod ad prius attinet; nec numerus hominum societates ineuntium, nec vis unita, ordinem naturae mutare valet. Haec quod a singulis injuste fieri statuit, id fit injustius a mille millibus. Seu itaque in suis ipsorum causis judices sedeant populi, seu de factis foederatorum, aut de ope ferenda oppressis, sive principibus, sive civibus alienis, delibe-

rent: tum demum ſolida libertatis ſuae fundamenta ponunt, cum legibus naturalibus ſerviunt.

Sceptrorum vis tota perit, cum pendere juſta
Deſinis.

§. CCCX. Jus Gentium voluntarium ex conventionibus expreſſe aut tacite initis oritur. In hoc tum probando, tum a corruptelis, quae in jus abire non poſſunt, diſcernendo, pleniori juris naturalis cognitione eſt opus. Pars hujus juris ex *retorſione* oritur. Quae quousque ſit *neceſſaria*? facti eſt quaeſtio: quando *licita*? Juris Naturalis.

§. CCCXI. Jus civile (§. 309.) bipartitum eſt, *publicum* & *privatum*. Jus *publicum* eſt vel *complexus* vel diſciplina *legum*, *mutua principis ſummi ac civium jura & officia perfecta definientium*, & in *generale* & *ſpeciale* recte diſpeſcitur. Utrumque naſcitur ex *conventione*. Conventionum vero jura, ſeu de iis ineundis, ſeu de illis interpretandis agatur, lex ſuprema, quam natura dedit, explicat. Quae uti civibus, ita & iis ſit ſancta oportet, quorum eſt regnum ſub regno graviori.

Ex hac lege tot arduae & maximi ponderis controverſiae dirimendae: quae conventorum a principe cum civibus initorum tabulis raro deciduntur; v. c. quando *non obedire*, quando verbis, vi, armis, principi *reſiſtere*, liceat ſingulis, univerſitatibus, aut populo? Quis ſit *tyrannus*? Cujus de tyrannide ſit *judicium*? Quando majeſtatis, ac ſpeciatim laeſae erga principem vel magiſtratus reverentiae, crimen admittatur? Quando perduellionis? Qui ſint

ſint rebelles? Quid ſit minimum & maximum in libertate? Quis imperii, quisve obſequii & patientiae modus?

§. CCCXII. Jus *privatum* eſt *complexus* (vel alio ſignificatu *diſciplina*) *legum civilium, quae jura & officia perfecta privatorum in civitate definiunt.* Has leges interpretari eſt *jurisperiti*, ad facta dijudicanda accommodare, *jurisprudentis.* Hujus quoque juris fundamentum, idque ſolidum, eſt *Jus Naturale.* Hoc enim non ad *ſtatum naturalem*, (hoc eſt, *ſtatum hominum communi imperio civili haud conjunctorum*) duntaxat ſpectat, quamvis hic uſus, ſi unicus eſſet, latiſſime pateret: ſed ad omnem ſtatum hominis adventitium convenit. Datum eſt *homini*, ergo & *civi.*

Primum in *jure privato non ſcripto* (*jure, quod inter ejusdem civitatis cives moribus invaluit*) opus eſt doctrinis juris *publici* & *naturae*: ſeu agatur de regulis definiendis, quemadmodum id jus probari debeat; ſeu quaeratur, quousque conſuetudo legibus derogare, aut legem facere poſſit. Deinde manifeſtum eſt, non omnia *legibus ſcriptis* comprehendi ſolere, nec poſſe. Recurri proinde oportet ad *fontem cujuscunque juris privati*, nempe ad jus a natura conſtitutum, quod regit *arbitrium judicis*, ac *ſupplet*, quae *juri civili* deſunt, ideoque ab ULPIANO recte appellatur *jus commune.*

§. CCCXIII. Teneamus itaque; *id, quod natura juſtum eſt, in civitate quoque fieri juſte, niſi id publice noxium, adeoque injuſtum eſſe, jus civile diſerte ſtatuat.* Sume, legibus civitatis non eſſe proditum, num liceat propinquum, vicinum, vel quemvis ignotum, qui in praeſens vitae pericu-

 lum

lum adducitur, per vim defendere, etiam, si is aliter servari non possit, cum caede injusti invasoris? Natura hoc jus cuivis, cujus humanitatem discrimen alienum inflammat, concessit. Lex civilis non prohibet. Igitur juste egit vitae alienae defensor, & in judicium deductus absolvetur.

§. CCCXIV. Alia *aequitatis* est ratio, quatenus a *justitia* distinguitur. (§. 279.). Inter *veram*, quam leges civiles definiunt, aut quae ex earum analogia concludi potest, & *opinatam* (vulgo *cerebrinam* vocant) quam ab *officiis imperfectis* judex repetit, plurimum interest. Haec invitis injungit, quod humanitas suadet, repugnante cum lege naturae, quae coactum, utpote societati noxium, repudiat, tum *lege civili*, quae a praescriptis Juris Naturalis deflectere, judici haud concessit. Hujus itaque interest, nosse fines justi & aequi, quos jus naturae constituit, ne eos temere confundens, dum putat se jus reddere, bona fide faciat injuriam.

§. CCCXV. In *jure privato interpretando* plenior *dictatorum naturalium* notitia regit operam interpretis, *rationem legis*, &, ea cognita, veram legislatoris mentem requirentis. Praeterea haec regula generalis, superiori (§. 312.) expositae, & veterum Jctorum exemplis, consequens, statui posse videtur: si argumenta interpretum, de vero legis civilis significatu diffidentium, par pondus habere putentur, is est praeferendus explicatus, qui a Juris Naturalis praescriptis deflectit quam minimum, & cum eo plurimum consentit.

§. CCCXVI. Denique *facilitatem* leges civiles ad

ad facta applicandi jurisprudentia naturalis egregie adjuvat. Uti disciplina hujus juris constat regulis, quae ex observata infinitorum factorum similitudine colliguntur; ita animus, ea disciplina informatus, paulatim imbuitur arte, *cardinem quaestionis* cujusque in factis etiam perplexis celerius reperiendi, quo invento, facilior est facti cum lege collatio. Quare non male sibi judices & causarum patroni consulere solent, qui controversias, in quibus tractandis versantur, primum ad dictata *naturalia* dirigunt, deinde ad *civilia*, & secundum haec litem decidunt, si quid in causa proposita Juri Naturali, ut cum Ulpiano loquar, *legem civilem addidisse* aut *demisse* appareat.

§. CCCXVII. Haec de *jure privato constituto.* Videamus de *constituendo.* Veteres *jurisprudentiam universe* dixerunt *philosophiam* (*rerum divinarum ac humanarum notitiam*, uti finivit Pythagoras) *quae in scientia justi atque injusti versatur.* Pars hujus jurisprudentiae universae est *privata civilis*, seu *habitus leges bonas civiles dandi, aut secundum eas, quae conditae sunt, distincte cognitas, facta privatorum dijudicandi.* Prima ejus pars, quae in legum constituendarum peritia ponitur, (*nomothetica*) nobilissima est & difficillima. Leges enim ferre est superioris, accipere infirmi, sed invenire sapientis.

§. CCCXVIII. In illis statuendis, ante omnia tenendum; quam *singulis hominibus* Jus Naturae asserit *libertatem*, eam nulli civi temere adimi oportere, nullamque ipsius delibationem legislatori esse licitam, nisi eam, quae ad salutem populi tuendam vel augendam sit necessaria. Id enim est consequens conventioni, *coecum & effrene arbitrium* prohibenti, qua gignuntur imperia & nitun-

tur. Huic fundamento superstruitur germana legum civilium justitia, & praestantia.

Nihil verius aut salubrius dici potest vulgari proverbio: *salus populi suprema lex esto*, si qui imperium tenent, sapere velint: sed nullum dictum est cereum magis in publicam perniciem flecti, si nolint. Cum nihil possit esse utile, nisi sit justum: (§. 267.) omnis diminutio libertatis, licet splendido felicitatis publicae nomine velata, quae per se est injusta, publice nocet. Utilis itaque est juris naturalis cognitio, ne leges per se injustae temere ferantur. Hae toti coetui nunquam possunt esse salutares, si *singulis* sint perniciosae. (§. 166.) Tales forent, quae, quod divinitus prohibitum est, fieri juberent, vel quae ea facultate, quam natura cuivis dedit, & qua se per conventionem nemo abdicare potest, (§. 304.) civibus interdicerent. Justa, ut hoc utar, non foret lex, quae tutelam vitae necessariam (*inculpatam*) auferret civibus adversus cives, vel ultra humanum modum coërceret.

§. CCCXIX. Eae vero leges per se justae salubriter statuuntur: quarum hunc fore fructum, probabiliter praevideri potest, ut summam bonorum in civitate augeant, malorumque diminuant. Ex horum bonorum, quae lex toti populo affert, & malorum, quae demit, multitudine, magnitudine, & stabilitate, aestimari potest, quousque lex vigere, vel quando abrogari, debeat. Unde patet, si remedia, quibus opus est ad vigorem legis tuendum, sint nimis aspera & violenta, praestare, eas non sanciri, & quae fieri velis, civium *pudori* permitti, quam medicamentum malo, cui depellendo adhibetur, pejus praescribere.

Ita

Ita ſaepe plus commodi affert ſocietati, *mores non legibus, ſed moribus*, corrigi. In quibus omnibus diſcernendis diſciplina morum (§. 231.) magno uſui eſt: propterea quod effigiem hominis, praecipue hominis in ſocietate majori viventis, diligentius exprimit. Ex qua imagine demum recte concluditur, quid poſſit hominibus univerſe, vel definito eorum generi, absque majori eorum incommodo, injungi, quid minus.

§. CCCXX. Honos merito habetur legibus & inſtitutis populorum, qui ſapientiae laude floruerunt, vel etiamnum cenſentur. Sed tutiora legum ferendarum principia ſolidior cognitio de *ſtatu phyſico & morali* ejus populi praebet, cui leges ſunt conſtituendae. Ne *Moſaicas* quidem *leges*, utut ſapientiſſimas, ſalvo ſuo erga populum officio, princeps civibus ſuis praeſcripſerit, quatenus horum ſtatui non conveniunt. Eſt enim quaedam utilitas omnibus populis communis, quaedam aliquibus, quaedam ſingulis propria. v. c. Lex, quae prohibet, *bona defunctorum cedere occupanti*, omnibus populis utilis eſt: ſed *ordo ſuccedendi legitimus* non idem convenit omnibus.

His diſtinguendis inſervit Ethica, cum jurisprudentia naturali conjunctiſſima, dum naturam hominis diligentius exponit. Ad illam itaque recurrendum, cum disquiritur, quas leges alibi conditas, & forte populis, qui ipſis uſi fuere aut utuntur, aptas, imitari atque adoptare, quasve repudiare, expediat, quas denique ad tempus invehere, aut invectas tolerare, non quod ſint bonae, ſed quod minus ſint malae. *Nam neque medicorum*, inquit Cicero, *praecepta dici vere poſſunt, ſi*

quae inscii, imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint, neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiamsi perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex justorum atque injustorum distinctio, ad illam antiquissimam expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos.

§. CCCXXI. Quantum inprimis sit momentum jurisprudentiae naturalis *in legibus poenalibus* sanciendis, & quidem tum in *delictis distinguendis* ab aliis *facinoribus injustis*, illorumque *magnitudine aestimanda*, tum in exquirendo *probationum*, & *poenarum*, *genere ac modo*; res ipsa, & tot legum, antiquo & recentiori tempore conditarum, scopo suo ob nimiam asperitatem minime consequentium, exempla evincunt.

Potior quippe est legislatoris & magistratuum gloria, impedire, quo minus delicta admittantur, quam admissa coërcere. Quaevis poena est malum, quod nunquam est infligendum, nisi sit remedium unicum, praeveniendi malum gravius.

Sit piger ad poenas princeps, ad praemia velox,
Et doleat, quoties cogitur esse ferox.

Qui scripsere leges sanguine tinctas, quales, praeter DRACONEM, fuere multi: existimarunt, sola vi terrifica homines in officio contineri posse. Verum diligentior hominis consideratio planum facit; vim ac metum esse quidem potens momentum, quo voluntas flectatur, sed mali fecundum, neque unicum, quo inclinari possit, neque caeteris momentis semper potentius apud homines dolori adsuetos, aut perpetuo sufficiens

ciens ad vigorem legis custodiendum. Si eam esse statuis hominum naturam, ut gratis sint mali in societate, vel ut repente fiant pessimi, utque impetum sustineant, quamdiu formidine urgentur, sed ad negata redeant, timore sublato: cur suspicaris, solum fore, qui regit, bonum, quamvis non metuat, cives ex contrario malos puncto temporis, quo trepidare desinant? At vero legum vis quomodo salva erit, inquis, nisi poenis & suppliciis armentur? Inquirendo in fontes facinorum, eosque obstruendo, ut cives peccare nolint, ac continua eorum, qui populo praesunt, vigilantia, ut non ausint. Facilius hoc modo, quam atrocitate, propositum assequitur,

Multa metu poenae, poena qui pauca coërcet,

Et jacit invita fulmina rara manu.

§. CCCXXII. Hactenus *de legibus*. Restat disciplina *prudentiae civilis*, quae scientiam regendi populos (§. 163.) tradit. Haec distincte remedia optima explicat, quibus effici potest, ut tantam singuli socii felicitatis mensuram totius societatis viribus capiant, quantam nec sibi praestare ipsis possunt, neque in ulla alia societate, imperio civili haud subjecta, consequi. Nulla vero solida est felicitas absque justitia & aequitate. (§. 274.) Igitur prudentia gubernatrix hoc nominé indigna est, quae in negotiis *foris* aut *domi* tractandis a justo & aequo deflectit.

Formatus principis ad *prudentiam Juris Naturalis* animus, qui plene persuasum habeat, quantum intersit populorum sine exceptione omnium, cer-

certa esse cujusque jura, neque ea viribus validiorum pro arbitrio convelli, *pudore & conscientia animi* cogetur, abominari doctrinas MACHIAVELLI, cum principem docet praesentem rapere utilitatem, atque, amplioribus commodis oblatis, foederum religionem aspernari. Sibi quoque jura esse nata, agnoscet.

§. CCCXXIII. Rationem reipublicae, quam *rationem status* vocant, veram a fucata discernere, id jus docet; quod in omnium hominum & populorum utilitatem veram ac perpetuam natura, omnium domina, & alma mater, sancivit.

Neque enim vere a quibusdam traditur, non posse magna imperia administrari absque injuria. Illustrabimus rem exemplo. *Potentiam* & *opes* appetit populus. Illam fundat vicinis opprimendis, has quaerit iisdem mercatura excludendis. An vere ipsius intererat principatum obtinere virium? fines proferre? Saepe mole sua laborant regna. Expedit, tantum viribus gentem valere, ut non accipiat, non autem ut det leges. Expedit, ut non metuat, non autem ut metuatur. Taceo, aemulationem virium inter gentes nimis ferventem plerumque desinere in communem imbecillitatem. Nonnunquam utile est, superesse gentem, quam aemuleris. Dum *Carthago* deletur, prona fit *Roma* in ruinam. Tandem non est unicum potentiae acquirendae aut firmandae remedium, quo aliis populis detrahitur. Praestat suo niti robore, quam aliena imbecillitate fulciri.

§. CCCXXIV. Quaeruntur opes. Cur, quae domi facile reperiri poterant, si industria & sapiens

piens rectio adhiberetur, foris ſanguine & aliorum ruina quaeruntur? Si mercatura aperit fontes *divitiarum publicarum*, & in omnes populi claſſes diffundit: refert gentis, quae opulentiam expetit, non ſolam eſſe divitem, ſed eſſe & alias gentes pecunioſas, quae emant, ut vendere poſſit. Sic intereſt Europae, conſervari florem ejus gentis, cui a longinquo inde tempore merces ſuas committere conſuevit, ubique diſtribuendas.

§. CCCXXV. Perverſa *gloriae* opinio ſaepe gentes coegit, a juris via declinare, fecitque, ut caederent, inque vicem plagis ipſae contunderentur. Spes immortalitatis excivit praecipue principes, ut quietis pertaeſi, & veluti victoriis demum nobilitandi, materiam bellorum quaererent. Amica itaque *pacis*, & per *pacem proſperitatis*, populorum ea eſt diſciplina, quae verae gloriae notionem aperit, & inanitatem famae praeſentis monſtrat, quam, ſublatis adulandi aut timendi cauſis, ſera poſteritas deteſtatur.

§. CCCXXVI. Haec de rebus *foris* gerendis. Imbuti pleniori indolis humanae notitia, & juſti atque aequi veneratione, qui civitates temperant, adſciſcent conſuetudinem, *domi* quoque populum & leges reverendi. Alieni a dominatu, aut modo regnandi plane militari, id agent leni imperio, ut cives ſua bona noſſe & amplecti adſueſcant. Obedientiam ſenſu utilitatis, ex lege manantis, ipſis perſuadebunt; probitatem docebunt exemplo; & ſegnem *patriae* amorem ad ardorem de ea bene merendi, hoc eſt, plus, quam lege jubetur aut juberi poteſt, praeſtan-

ſtandi, laude, honoribus, & meritorum praemiis inflammabunt. Noſcent ingenium populi, cui praeſunt, & momenta, quibus plurimi agitantur. Haec ſi bona ſunt, incitabunt, ſi mala, corrigere ſtudebunt; & ſi non poſſint propenſiones dominantes emendare, imbecillitatem ipſam ad verum ſocietatis bonum prudenter convertent. Hac arte cives aliunde allicient, ſuosque certius, quam edictis minacibus, retinebunt, deficientibus migrandi cauſis.

Ex his patet, eam diſciplinam eſſe haud parum utilem ad gubernacula adſpirantibus, quae, quos regere cupiunt homines, noſſe docet.

F I N I S.

E M E N D A N D A.

Pag. 42. lin. 14. poſt verba: *eorum*, *qui*, lege: *Anachoretas potius*, *quam conjungentem ſolitarios.*

Pag. 43. lin. 2. pro *vitata* lege *vita.*

Pag. 62. lin. 26. poſt *moralis:* lege: *durum efficit ac.*

Pag. 99. lin 6. pro *id hoc*, lege *& hoc.*

Pag. 112. lin. antepen, pro *divulſum* lege *divulſam.*